GLASGOW COLLEGE LIBRARY

Glasgow
University Library

via veritas vita

Bh14 — f.18

RB 2616

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/b24929797

MATHIAE MICHAELIS

SIKORA

AA. LL. PHIL. & MEDICINAE DOCTORIS

CONSPECTVS MEDICINAE LEGALIS LEGIBVS AVSTRIACO-PROVINCIALIBVS ACCOMMODATVS.

PRAGAE,

APVD WOLFGANGVM GERLE 1780.

176

HONORI,

AC

DEMISSISSIMAE

VENERATIONI

REVERENDISSIMORVM

CELSISSIMORVM

EXCELLENTISSIMORVM, ILLVS-
TRISSIMORVM, PERILLVSTRIVM,
NOBILIVM, PRAENOBILIVM

DOMINORVM, DOMI-
NORVM

INCYTI REGNI BOHEMIAE

STATVVM

AC

PROCERVM

DOMINORVM, DOMINORVM
CLEMENTISSIMORVM

MECOENATVM.

REVERENDISSIMI, CELSISSIMI, EXCELLENTISSIMI, ILLVSTRISSIMI, PERILLVSTRES, NOBILES, PRAENOBILES,

DOMINI, DOMINI,

INCLYTI BOHEMIAE REGNI

STATVS

AC

PROCERES

MECOENATES CLEMENTISSIMI!

Tot tantaque exſtant monumenta MECOENATES CLEMENTISSIMI VESTRI *in optimarum literarum ſtudia, & ingenuas artes favoris, quæ* VOS, *Magnates omni laude digniſſimi, & ſumptibus illuſtratis fere regiis, & habetis in deliciis, ut totius orbis oculi in* VOS *ſint converſi, omnes eruditi beneactum de ſcientiis, artibusque ſub* VESTRO *Præſidio pronuntiant, communique voce Bohemiæ noſtræ tales gratulantur Mecœnates;*

Excellentia virtutum, admiranda ſapientia, tanta tamque illuſtria in Regem,

Pa-

Patriamque merita VOS *radiis ſolaribus ſplendidiores reddidere, quæ ſi recenſere vellem, vereor ne ingreſſum perinde ac exitum difficulter inveniat oratio in tam late patentem campum excurrere anhelans, qualem innumera merita ſibi vendicant* VESTRA; *Verum hæc & multa alia virtutum* VESTRARVM *decora utut plurimum gloriæ Patriæ attulerint, parum tamen* VOS *feciſſe arbitrabamini, niſi largiſſima beneficiorum profuſione egentes locupletaretis, & ærarium omne in commune bonum largiſſime profunderetis.*

His innixus argumentis dudum precabar, ut exantlatis meis ex univerſa medi-

cina

cina laboribus VESTRO *Præſidio*, VESTRA*que nominis gloria in arenam literariam deſcenderem*; *Enim vero unde novello huic conatui*, *quem legum academicarum authoritate edo*, *majus decus accerſere poteram & ornamentum*, *quam ſi eum* VESTRIS *nominibus inſcriberem?*

Patiamini igitur PATRES PATRIAE CONSCRIPTI! *patiamini deponi ad pedes* VESTROS *opuſculum hoc*, *patiamini*, *ut titulis auſpiciisque* VESTRIS *ſuperbiat in lucem publicam proditurum*, *ut* VESTRO *Patrocinio & favore ceu Minerva ægide munitum ab injuria invidorum calumniantium eo magis vindice-*

tur,

tur, & ſi qua ex hoc fiat ſcientiæ amœniſſimæ acceſſio, ſi qua hinc nata emanet utilitas, quæ forte eſt non mediocris, ſi denique artis amatoribus voluptas creetur aliqua, id omne ſolis VOBIS *referri oportere acceptum videant nationes exteræ, reſciſcat ſera poſteritas.*

Me quoque nunc & in futurum VESTRA *excelſa ſuffulcite gratia, ſic continuo magis magisque proficiendi eo fervidior mihi ſemper labor erit, quo major oblectatio eſt tanti nominis gratia frui, omni ſimul innitar ſtudio ut* VESTRA, *quam maxime in votis habeo, Clementia non indignus videar.*

Flo-

Floreat cæterum ſic regnum noſtrum patriis VESTRIS *virtutibus, & qui nunc* VESTRIS *hilarantur radiis juvenes, neſtorei olim ſenes* VOBIS *gratos adducant nepotes vota majorum continuaturos.*

Ita precatur, ita vovet

REVERENDISSIMORVM,
CELSISSIMORVM, EXCELLENTISSIMORVM, ILLVSTRISSIMORVM, PERILLVSTRIVM, NOBILIVM, PRAENOBILIVM,
DOMINORVM, DOMINORVM
INCLYTI BOHEMIAE REGNI
STATVVM AC PROCERVM
MECOENATVM CLEMENTISSIMORVM

Submiſſiſſimus Cliens
Mathias Michael Sikora.

PRAEFATIO.

Licet non deſit numerus præſtantiſſimorum in medicinam legalem conſcriptorum librorum, quorum copiam benevolentia Peril. ac Cel. mei Chem. & Botan. Prof. D. Mikan viri mihi ſemper addictiſſimi obtinui, non inveni tamen, qui legibus noſtris omnino accommodatus foret, quapropter laborem hunc, pro imbecillitate mea, in me ſuſcipere decrevi, conſcribendi hunc conſpectum legibus noſtris, id eſt: Codici Thereſiano, Iuri Canonico Rieggeri, Iuri Civili & Provinciali, Inſtructioni Archi-epiſcopalis Conſiſtorii Pragenſis &c. omnino accommodatum. Citationes quidem rarius adduxi, ne diſſertationis volumen, alioquin jam magnum, ultro increſceret.

Va-

Vaſtiſſimam medicinæ legalis materiam a me extremis duntaxat labiis delibatam potius, quam pro rei gravitate pertractatam, præprimis circa medicinam veterinariam, conceſſerim facile, veniam tamen ſpero a lectoribus benevolis, cum in maximis voluiſſe ſat ſit; ſi vero utilitatis quid redundaverit ſaltem in ſtudentes, ſi non in alios, omnino gaudebo.



SE-

SERIES RERVM.

PARS I.

MEDICINA LEGALIS.

Caput I. De ea in genere, & de Perſonis hanc exercentibus.

Caput II. De neceſſariis circa inſpectionem & ſectionem legalem.

Caput III. De relationibus medicis, aut viſo reperto.

PARS II.

IVS MEDICVM CIVILE.

Caput I. Aetatum diviſiones.

Caput II. De excuſationibus ob infirmitatem mentis, & corporis locum habentibus.

Caput III. De graviditate, & gravidarum privilegiis.

Caput IV. De partu vitali, maturo, legitimo, præcoci, ſerotino, mortuo.

Caput V. De gemellis, ſuperfœtatione, partu primigenio, ſuppoſititio.

Caput VI. De Mola.

Caput VII. De monſtris.

Caput VIII. De ſexu ambiguo.

Ca-

Caput IX. De morbis fictis & celatis.
Caput X. De mala medendi ratione.
Caput XI. De mala pharmacorum conditione.

PARS III.

IVRISPRVDENTIA MEDICO - ECCLESIASTICA.

Caput I. De ea in genere.
Caput II. De impedimentis ordines eccleſiaſticos ſuſcipiendi, & de cauſis officia eccleſiaſtica tollentibus, vel relinquentibus.
Caput III. De molarum, monſtroſorum, hermaphroditorum, ac fœtus immaturi baptizmate.
Caput IV. De jejuniis eccleſiaſticis.
Caput V. De ſagis & dæmoniacis.
Caput VI. De verbis & factis irreligioſis.
Caput VII. De autochirorum ſepultura.
Caput VIII. De ſacra periculoſe decumbentium cura, & ſacra ſynaxi in dubio mentis ſtatu.
Caput IX. De virginitate, & ſtupro violento.
Caput X. De philtris & prægnantibus.
Caput XI. De impedimentis matrimonii.

PARS

PARS IV.

IVRISPRVDENTIA MEDICO - CRIMINALIS.

Caput I. De ea in genere
Caput II. De vulnerum lethalitate.
Caput III. De venenis.
Caput IV. De nociva ac doloſa vinorum & cereviſiæ adulteratione.
Caput V. De abortu.
Caput VI. De infanticidio.
Caput VII. De ſuffocatis, ſtrangulatis, ſubmerſis, fulmine tactis.
Caput VIII. De reis in carceribus detentis, ac condemnatis ad labores publicos, & de ultimo ſupplicio.

APPENDIX.

DE IVRISPRVDENTIA MEDICO-MILITARI.

Caput I. De jure medico militari.
Caput II. De juſtis miſſionum cauſis, & a militia excuſantibus.
Caput III. De militum impedimentis temporariis.
Caput IV. De juſtis quibusdam excuſationibus circa militum officia.

DE

DE IVRE VETERINARIO CIVILI.

Caput I. De morbis ac morte pecorum dijudicandis.
Caput II. De evictionis cauſa, ac tempore.
Caput III. De equorum morbis.
Caput IV. De boum morbis.
Caput V. De ovium morbis.
Caput VI. De ſuum morbis.

Quis eſt harum rerum peritus, cui non innotuit, auxiliatrices manus ſibi præbere jus criminale atque medicinam forenſem?

CONSPECTVS MEDICINAE LEGALIS LEGIBVS AVSTRIACO-PROVINCIALIBVS ACCOMODATVS.

PARS I. DE MEDICINA LEGALI GENERATIM AGENS.

CAPVT I. DE MEDICINA LEGALI IN GENERE, ET DE PERSONIS HANC EXERCENTIBVS.

§. I.

Scientia in principiis phyſico-medicis fundata, in juſtitiæ adminiſtratione occupata, *Iurisprudentia medica* nuncupatur; & cum juris peritis in re dubia firmum fundamentum ſuppeditet, quo concluſio illorum innitatur, *Medicinæ forenſis*, aut *legalis* nomine venit.

§. II.

Pro diverſitate objecti, circa quod verſatur, in varias diſpeſcitur partes; alia *jurisprudentia medico-eccleſiaſtica*; alia *medico-civilis*; *medico-criminalis* alia nuncupatur: in his enim omnibus quædam occurunt, quorum recta inveſtigatio, atque dijudicatio, non niſi ex principiis phyſico-medicis peti queat.

§. III.

Inſpectionis vel ſectionis legalis utilitatem, & neceſſitatem ſummam eſſe ex eo eluceſcit, cum, in omnibus caſibus, ex ſcientia phyſico-medica eruendis ad relationes medicorum Iuris Conſulti ſententias ſuas dirrigant, hinc de fama alterius, pœnis corporis afflictivis, & in caſu graviori de ultimo ſupplicio agant.

§. IV.

Eam jam Romanis in uſu fuiſſe ex hiſtoriis habemus; ad quam, ut noſcatur, an quis ex percuſſione, vulnere, veneno, vel alia læſione obierit, non tantum leges obligant *a*) ſed & S. ſcriptura hujus neceſſitatem haud obſcure præcipit, ne inultus maneat ſanguis temerarie effuſus; exſtat enim Exod. XXI. v. 12. Levit. C. XXIV. v. 17. Numer. C. XXXV. v. 16. 35. qui hominem percuſſerit, ut inde moriatur, mor-

a) Conſt. Crim. Thereſ. Art. 26. §. 10. fol. 59.

morte morietur. An autem *inde* mortuus ſit, nec ne, inſpectio cadaveris vix non ſemper docet.

§. V.

Requiritur vero ad caſus medico-forenſes rite dijudicandos, noviſſe corpus ſanum, ejusque functiones; noviſſe morboſi a ſano receſſus; imo hujus diverſos gradus; noviſſe rerum non naturalium, contra & præternaturalium in corpus humanum effectus; quorum omnium doctrinam hiſtoria naturalis, botania, chemia, anatomia, phyſiologia, pathologia ſupeditat. Ex his ergo diſciplinis principia medicinæ forenſi inſervientia deſumenda ſunt.

§. VI.

Et cum medicinæ Doctores in his omnem paginam abſolvere jure teneantur, hinc in caſibus & controverſiis medico-forenſibus eruendis, ac determinandis eorum opera quam maxime utilis, ſufficiens, neceſſaria, ac fide digniſſima eſt.

§. VII.

In caſibus tamen chyrurgicis in medici defectu chyrurgo, vel in litibus ſexum ſequiorem concernentibus obſtetrici, artis ſuæ peritis, in relatione ſolis fidendum, ſed in quæſtionibus magis intricatis, nunquam his acquieſcendum, niſi confirmatio medici acceſſerit.

CAPUT II.

DE NECESSARIIS CIRCA INSPECTIONEM, ET SECTIONEM LEGALEM.

§. I.

Medicus aut chyrurgus a magiſtratu vel judice ad inſpectionem vocatus, illico ad locum definitum ſeſe conferat (dantur enim caſus, uti: læſiones periculoſæ; imminens in cadavere putredo &c. nullam dilationem admittentes, ſed inſpectionem molæſtam, dubiam, vel inpoſſibilem reddentes) in teſtium judicialium & ſcribæ præſentia, illud tantum agat, quod res ipſa deſiderat; nunquam tamen propria authoritate caſuum ſimilium inveſtigationem aggrediatur, ſed requiſitionem magiſtratus vel judicis exſpectet.

§. II.

In vivis ſubjectis attendendum ne vulnus præpoſtere deligando, rudius inveſtigando, aut ægrum examinando, ac ad multum loquendum cogendo in majus ac proximius conjicias periculum, ut ergo medici & chyrurgi ſit determinare, num æger talis inſpectioni, ac examini legali par ſit, nec ne, & cavere ne ob hæc neceſſaria medela, differatur, aut interrumpatur.

*) In

*) In vivente inſpiciendo ſubjecto habeatur ratio honeſtatis, & verecundiæ, quæ nec in cadavere exulare debet, ſi ſectio neceſſaria ſit.

§. III.

Si ſectio ex quadam cauſa detineatur, ita, ut putredo in cadavere dominetur, caute procedendum eſt; hæc enim corpus valide mutat, vel plane ab illa abſtinendum, ſi major gradus putredinis adfuerit; nam nec medicus ad putridum tale cadaver cum diſpendio ſanitatis propriæ inſpiciendum adigi valet.

§. IV.

Ante Sectionem externa corporis facies conſideranda, & durante inſpectione viſum repertum chartæ committendum eſt: ne quid oblivioni tradatur.

§. V.

Ad caſus recte cognoſcendos bene attendendi humores ex ore, aut alia cavitate, vel ex vulnere profluentes: hi enim ſæpe intus factorum indicia præbent, vel ſaltem ſuſpicionem faciunt v. g. ſi oſſibus capitis integris copia ſanguinis magna ex aure profluat; inveſtigandus etiam eſt locus, cui illapſſus fuerit, an ibi eminentia quædam dura, nec ne.

 §. VI.

§. VI.

In homicidio ſectio ibi incipienda, ubi ſuponitur maxima cauſa mortis invenienda ; ita ſi in cerebro ſit, ablatis integumentis oſſa cranii primo viſitanda, an videlicet vulnus uſque in ſubſtantiam cerebri penetraverit? quem locum tetigerit? ubi deſierit? an extravaſatio adſit? cujus ſimul deſignandus locus, quantitas, & qualitas. Porro ſi vulnus pectus penetraverit, locus externus numero coſtarum deſignandus eſt, aperto thorace (cavendum ne locus læſionis diſcindatur) vulneris figura, longitudo, latitudo, & profunditas ad polices & lineas menſuranda, alia ad læſionem conferentia ſedulo notanda, ſitus & conſtitutio omnium partium thoracis inveſtiganda.

Demum ſi vulnus ſit abdominis, locus externus ſecundum regiones deſignandus, aperto abdomine partes læſæ notandæ &c. ut ante dictum.

*) Vulnera ſclopetaria ſi adſint, ob miros, quos formant ſæpe gyros, majori cura indaganda ſunt.

*) Profunditas vulneris non inveſtigetur inſtrumento acuto, vel minus uſitato, ne læſio augeatur, vel nova plane contingat: hanc enim ipſa ſectio abunde docebit.

§. VII.

Inventa jam mortis cauſa, vel loco læſionis, tamen omnes reliquæ cavitates majores aperiendæ

ſunt:

ſunt: ut, an etiam alibi quid præter naturam inveniatur, appareat.

§. VIII.

In veneficio effectus veneni ſedulo conſiderandi ſunt: an corroſione? inflamatione? &c. nocuerit, & cautiſſime omnium viſcerum, præcipue primarum viarum ſtatus conſiderandus eſt, ſanguinis congrumati locus, & quantitas annotanda, & ab his, qui morti interfuerunt, ſymptomata ante mortem præſentia reſcienda ſunt.

§. IX.

Venena aſſumpta per illa ſymptomata, quæ potiſſimum producunt, vomitum puta, vel etiam dolentiſſimas dejectiones, pro maxima parte exterminantur de corpore, ut & per hauſtum fluidi cujuscunque, aut per humores in primarum viarum canali contentos, ita mutantur, ut priſtinam ſuam faciem exuant; ſi tamen corpora quædam peregrina, ut particulæ veneni in ventriculo vel inteſtinis inveniantur, in brutis tentanda ſunt, & mineralia, ut arſenicum, carbonibus injicienda, quia fumum graveolentem, alliaceum ſpargunt, vel alio etiam experimento chemico horum natura eruenda, etenim arſenicum præterea reductione in regulum, & cupri dealbatione cognoſcitur. Conſimilia in cobaltum cadunt. Acida mineralia cum adfuſo liquore alkalino effervefcunt,

& ſub rectis enchiriſibus ſalem medium ſuæ naturæ convenientem producunt. Cum mercurio ſublimato liquor alkalinus colorem flavum conſtituit; quandoque etiam venenorum portio quædam nondum deglutita, in inquirentium manus incidit, & pro documento eſſe poteſt.

*) Signa aſſumpti veneni vide ſub capite de venenis.

§. X.

In infanticidio primo videndum, quo loco calido, tepidove, (imo potius frigido) infans repertus fuerit, tum ejus ſtatura, firmitas, ungues, capilli (ut de ejus maturitate judicium ferri poſſit) luſtrandi; fontanella, occiput, nucha, ſcrotum (ſi puer ſit) bene conſiderandum, an in his nulla violentiæ veſtigia adſint, uti & ſtatus funiculi umbilicalis; copia ſanguinis in vaſis præſentis; videndum an non fumo ſulphuris, elichnii, aut alio acri, ſeu veneno in nares immiſſo, aut deglutito non obierit; an maculæ cæruleæ forte in corpore præſentes violentiæ, aut partus dificilis effectus ſint, & quam maxime an poſt partum infans vixerit inveſtigandum.

*) Plura huc ſpectantia vide in capite de infanticidio.

§. XI.

In omnibus recenſitis caſibus ſedulo attendendum an non prius quædam partes internæ vi-

tiatæ

-iatæ fuerint, aut aliud mortis indicium v. g. periculoſus pectoris tumor, abſconditus non fuerit.

CAPVT XII.

DE RELATIONIBVS MEDICIS AVT VISO REPERTO.

§. I.

Cum medici, quod ſub inſpectione viventis, vel ſectione cadaveris repererint, judici ſententiam laturo referre debeant, eluceſcit in eo ordinem quendam ſervandum eſſe, ne confuſa relatio etiam judicem confundat.

§. II.

Quapropter in relationibus nulla ad rem non facientia, vel ad forum medicum non pertinentia, admiſceantur, verba ambigua vitentur, omnia idiomate vernaculo, diſtincte, fideliter, exarentur, termini artis fugiantur, quod ſi fieri nequeat, per periphraſim explicentur.

§. III.

In viſo reperto ſequentia notanda veniunt: 1*mo* medicum fuiſſe ad inſpectionem requiſitum, & a quo, eamque præſentibus teſtibus factam, 2*do* inſpectionis tempus & locus, 3*tio* nomen, ſexus, ætas,

vitæ genus (ſi notum) corporis habitus, ſtatura &c. occiſi 4to pro viribus etiam diæta, valetudo præcedens, medicamenta, tempus & poſſibilitas applicandi auxilii; an neglectum; an perperam; aut recte applicatum fuerit; omnia ſub curatione contingentia; ſymptomata poſt læſionem apparentia, uti & illa, quæ mortem accelerarunt. 5to ſi poſſibile cauſæ prædiſponentes, & excitantes 6to tempus læſionis & mortis, 7mo an læſus illo tempore, quo ei vulnus inflictum fuerat, in animi affectu vel ebrius fuerit. 8vo omnia in corpore externe apparentia, plagæ, livores, tumores, vulnera, ictus, contuſiones, fracturæ, 9no ſitus corporis, quem læſus tempore læſionis habuit, inſtrumenti lædentis indoles, figura, pondus, applicandi modus, 10mo partes læſæ, læſionisque ſtatus, 11mo genus vulneris, figura, longitudo, latitudo, profunditas, 12mo humoris effuſi qualitas, quantitas, locus, 13^{tio} peregrina in cavitatibus inventa, cum ſua indole per experimenta detecta, ita & præternaturalia ante læſionem præſentia, 14to ſtatus reliquarum partium, 15to in fine relationis omnibus perpenſis judicium indubium de lethalitate, morte &c. ferendum additis rationibus cur ita ſentiendum, vitatis in phœnomenorum explicatione omnibus hypotheſibus.

*) Si plura adfuerint vulnera, ſingula cum ſuo ſtatu annotanda, & quale horum mortis cauſa fuerit, aſſignandum.

§. IV.

Si læſio quædam non mox ſuam indolem prodat, cautus ſit medicus in prognoſi ſua, donec ſymptomata magis ſuam naturam manifeſtaverint.

§. V.

In caſu aſſumpti veneni præter ſuperius memorata, ſequentia aſſignanda ſunt: 1*mo* quæ ejus ſigna & effectus apparuerint, 2*do* an non illi a morbo potius in corpore præſente dependeant, 3*tio* cujus naturæ venenum fuerit, 4*to* quantum & quomodo porrectum fuerit, 5*to* an data quantitas ſuffecerit ad ſubjectum præſens enecandum, 6*to* expiſcandum an non incongrua quædam medicamenta, aut male præparata, aut doſi majori aſſumpſerit.

§. VI.

In infanticidio recens natorum addendum 1*mo* an partus ſit maturus, capillis, unguibus, corporis proportione adæquata inſtructus, 2*do* an funiculus umbilicalis recens, ligatus, abruptus, vel abciſſus fuerit, 3*tio* an vaſa plena, an vacua reperta fuerint ſanguine, 4*to* quam maxime ſtatus pulmonum deſcribendus, 5*to* rationibus ad-

jectis concludendum, an infans vivus vel mortuus natus ſit, aut an violenta manu interierit.

§. VII.

In dubio quocunque rerum ſtatu medicus judicium ſuum ſuſpendat, & rem decidendam collegiis medicorum tradat.

§. VIII.

Si læſio curationem admiſit, hac peracta notandum; an æger ſanitati priſtinæ perſecte reſtitutus fuerit, vel quædam functiones depravatæ, aut ſublatæ manſerint, an id vitio ægri, medentis, aut ex ipſa læſione factum fuerit, qualis opera, qualesque ſumptus in curatione adhibiti fuerint.

PARS II.

IVS MEDICVM CIVILE.

CAPVT. I.

AETATVM DIVISIONES.

§. I.

Quævis vitæ periodus, quo corporis & animi vires per ſe, ſuamque naturam evidenter mutantur, medicis & philoſophis nomine ætatis venit, mutatio hæc ut plurimum numero ſeptenario comprehendi ſolet.

§. II.

§. II.

Ariſtoteles in libro de vita & morte generatim tres conſtituit ætatum gradus generales: Primum *Augmenti*, quo robur animi & corporis incrementum ſumit. Secundum *Conſiſtentiæ*, quo vires animi & corporis ſtant ſuo robore firmæ. Tertium *Decrementi*, quo utriusque potentia vaſide iterum extenuatur.

§. III.

Quævis ætas generalis alias ſuas continet ſubdiviſiones ita Augmenti: *infantiam*, *pueritiam*, *adoleſcentiam*, quarum quælibet fere ſeptenario annorum numero circumſcribitur.

§. IV.

Infantia (quæ ab homine *fari* neſcio ſuam ſortitur denominationem) eſt vitæ periodus, qua homo cogitationes ſuas prompte proferre, & diſtincte alteri communicare, ob rationem immaturam, nequit, hinc infantes cum inſipientibus comparari ſolent, & ad munia publica obeunda inepti cenſentur; durat infantia a nativitate ad primum ſeptennium completum, quo tempore lacteis dentibus excidentibus ſecundarii propullulant.

*) Dantur tamen & ingenia præcocia, & alia ſtupida, ac tarda; quorum infantia in temporis ſpatium brevius, aut longius protrahitur.

§. V.

§. V.

Pueritia altera primæ ætatis generalis periodus, primo ſeptennio confecto ortum ducit, completurque in maſculis altero peracto id eſt anno 14to in fœminis 12mo homines eo vitæ termino conſtituti *pueri* id eſt: *puri* ſeu *impubes* vocantur; uſu rationis perfecto adhuc deſtituti.

§. VI.

Adoleſcentia ſeu *Pubertas* eſt vitæ periodus, qua homo ad illum maturitatis gradum pervenit ut aptus evadat procreandæ ſuæ ſpeciei; initium pubertatis jure noſtro in 14^{tum} annum, plena vero pubertas in 16^{tum} completum cadit. In hac ætate conſtituti homines rationis, & judicii uſus fiunt participes.

§. VII.

Signa pûbertatis deſumuntur ab annis, ex baptizatorum catalogo hauriendis; atque ex vultu, totoque corporis habitu provecto, majori ejus robore, pilis in pudendis, & ſub axilis excreſcentibus, vocis mutatione quæ prius hirquittaliens, demum gravis, & aſpera evadit.

Specialiora ſunt: in ſexu nobiliori lanuginis in mento excreſcentia, in ſexu ſequiori mammarum intumeſcentia, & catameniorum profluvium; etiam mores hic conſiderandi ſunt, qui

tam

tam notabilem patiuntur mutationem, ut homines aliquid prudentiæ præſeferre videantur.

*) Non tamen adeo ſtrictis ætates circumſcribuntur limitibus, variant enim pro temperamento, climate, victu, &c. inde fit, ut pubertatis tempus acceleretur in uno, retardetur (quod longe frequentius) in altero. Idem de uſu rationis perfectæ valet, ita ut ſæpe magis animi & corporis mutationem, quam numerum ſeptenarium reſpicere oporteat.

§. VIII.

Aetas virilis a *vigore* nuncupata, ex jure noſtro poſt quarti ſeptenarii medium ſeu anno 24*to* incipit (quo etiam *Majorennes* declarantur) & durat in fœminis ad annos 49. & ultra, in viris ad 60. & ultra. Hic corpus jam determinatum acquiſivit incrementum, & homo plenum rationis uſum habet.

*) Exceptionem quandam patiuntur ætates judæorum: maſculus enim completo 13. annorum & unius diei, fœmina 12. annorum & unius diei ſpatio, ſignis pubertatis ſimul præſentibus, nubiles declarantur, in alterutrius deffectu pro infante habentur, donec ſigna ſterilitatis præſentia ſint, his non apparentibus, donec 35. annos & unam diem compleverint.

Majorennes vero hæbrei decimo octavo ætatis anno æſtimantur.

§. IX.

Tertia ætas generalis ſeu decrementi continet *ſenectutem*, & *ætatem decrepitam.*

§. X.

Senectus eſt hæc vitæ periodus, ubi vires animi & corporis decreſcere incipiunt; ortum ſumit in fœminis circa 50*mum* cum emanſione menſtrui fluxus (quod potiſſimum ita conſuevit) in viris circa 63*tium* annum & durat ad annum 77*mum* aut 80*mum*. Aetas hæc animi vigorem adhuc aliqualem tuetur, ſed vires corporis magis decreſcunt.

Nam nunc felicior ætas
Terga dedit, tremuloque gradu venit ægra ſenectus.

Ovid. L. IV. Metam.

*) A morbis, curis, victu, laboribus, temperamento quibusdam evidentiſſimæ ſenectus præcox eſt. Aliis ſero vires cadunt, hinc ætas hæc ex virium defectu, non annorum numero æſtimanda eſt.

§. XI.

Aetas decrepita ab anno 77*mo* aut 80*mo* incipit, & tandem in mortem terminatur, homines in ea conſtituti, ob corporis & animi imbecillitatem infirmis, pueris, & inſipientibus adnumerantur.

*) *Aeta-*

*) Aetatem 30. annorum neceſſariam eſſe Cardinali & Epiſcopo, 40. Abatiſſæ, 25ti inchoati Presbytero, 23tii Diacono, 22di inchoati Subdiacono, hujus fori non ſunt.

§. XII.

Amortiſationis terminos alios leges ſtabiliverunt, 70ta enim annos abſentiæ poſuit Jus-Germanico-Civile (quibus expletis abſens pro mortuo habeatur) forte innixum illo Pſalmiſtæ: Dies annorum noſtrorum ſunt anni LXX. &, ſi tamen ultra vivere datur, LXXX. Pſal. 90. Alios mortis terminos ipſa natura poſuit incertos omnino, & formulæ neutiquam adſcriptos, nam 115. & 120. & ultra annis vivere adhuc mortales hiſtoriæ docent, experientia confirmat.

CAPVT II.

DE EXCVSATIONIBVS OB INFIRMITATEM MENTIS ET CORPORIS LOCVM HABENTIBVS

§. I.

Cum ob ætatem infantilem, puerilem, & fatuam ſenectutem, & ob morboſum encephali ſtatum, rectum ſenſationum, atque rationis uſum tales non habeant, ſed potius phantaſmata ſua cum illis confundant, actiones liberas, utilesque præ-

 ſtare

ſtare nequeunt, ſed ſibi aliisque noxii ſunt, hinc tam perſonarum ſuarum tutore, quam rerum ſuarum curatore opus habent, nec durante tali ſtatu ſui juris eſſe poſſunt.

§. II.

Et cum pacta valida rectam rationem, veram rerum dijudicationem, & liberam voluntatem ſupponant, quibus maniaci, & prædicti omnes deſtituuntur, nullam pacti ſpeciem valide inire, nec teſtes agere *b*) nec ad promiſſa ſervanda jure adigi poſſunt, ſed omnia cum illis acta irrita ſunt, multo minus officio publico præeſſe queunt.

§. III.

Eandem ob cauſam nec teſtamentum facere, aut fidei cujusdam aliquid committere talium eſt. Sed cum delirantibus in intervallis lucidis uſus rationis redeat, eo tempore teſtamenti actus, & fidei commiſſio utique locum habere poſſunt, ſi atteſtatum medici de præſentia intervali lucidi acceſſerit.

§. IV.

Ita & ſi infantes, pueri, ſenex fatuus, furioſus, maniacus, melancholicus malefactum quoddam extra intervalum lucidum (homicidium doloſum,

---

b) Teſtes inhabiles ſunt ratione carentes, maniaci, furioſi &c. Conſt. Crim. Thereſ. Art 33. §. IV. fol. 89.

loſum, ſi mavis, pone) commiſerit, juſte excuſandus eſt, ſi ſe talem fuiſſe præterita docuerint *c*).

§. V.

Eundem cenſum meretur, ſi quis non quidem mente captus, ſed adeo ſtupidus ſit, ut ſenſu communi careat; quod in iis, qui a nativitate ſurdi ac muti ſunt, & nunquam ad rationis uſum pertingunt, obſervare poſſumus.

§. VI.

Animi affectu valido agitatus v. g. ſi vehementi ira excandeſcat, eo magis, ſi ab alio ad hanc incitetur, in metu conſtitutus; vi valida, cui reſiſtere non poterat, adactus, delicti eo actu perpetrati reus dici nequit: animi pathemata enim rationis uſum pro tempore tollunt.

§. VII.

Et cum ebrietas nonniſi pro brevi amentia ab omnibus juſto habeatur, nunc dicta de ebrietate cum plena mentis alienatione conjuncta quoque valent.

§. VIII.

Morbi graves, cauſæ meditationem, atque loci mutationem impedientes ægrotum in jus vo-

 cari

c) Delicti in ea paces ſunt: ratione carentes, ſenes, ebrii &c. Conſtit. Crim. Thereſ. Art. 3: §. V. fol. 3.

cari non ſinunt, ſed cauſa differenda eſt, usque dum morbus profligatus fuerit. An vero hic morbus fictus vel verus ſit, & in quo gradu adſit, declaratione medici opus eſt.

§. IX.

Nunc dicta ad pœnas corporum afflictivas transferri merentur, a quibus præterea vel in totum, vel pro parte, vel ad tempus excipiuntur infantes, & infantiæ proximi; (id eſt anno ſeptimo propinquiores quam decimo quarto) impuberes; pubertati proximi (id eſt ante annum 16tum completum, niſi malitia ſuppleat ætatem) ſenes; fœminæ gravidæ; puerperæ; lactantes; menſtruantes; morbis conflictati; inactivitate rationis præditi, ut in dormientibus, & noctambulonibus obſervatur.

§. X.

Ita & ſententia publicata ſiſtenda eſt, ſi fœmina condemnata gravidam ſe eſſe profiteatur, vel reus intermedio tempore uſum rationis amiſerit, vel in gravem morbum inciderit. *d)*

CAPVT.

---

d) Conſt. Crim. Thereſ. Art. 41. §. VI. fol. 122.

CAPUT III.

DE GRAVIDITATE ET GRAVIDARUM PRIVILEGIIS.

§. I.

Si propagatio generis humani ad conſervandas in felici ſtatu provincias, regna, utilis atque neceſſaria eſt, tum remotio omnium obſtaculorum illi contrariantium non infimum in jure medico-civili obtinet locum.

§. II.

Silentio prætermitto polygamiam, tempeſtivum matrimonium, amoris, aut ſi mavis, veneris abuſum, vires adeo conſumentia, ut nullæ, aut debiles plurimisque morbis obnoxiæ ſequantur proles, ea ſolum, quæ tam fætui jam in utero hærenti, quam matri gravidæ noxia evadunt, memorabo.

§. III.

Etſi, quousque imaginatio valida, & in conſveta matris ſuum exerat imperium, necdum evictum ſit, cum tamen ex hac orta averſatio, & terror, morbos fœtus, matrisque, & ipſum abortum poſt ſe trahant, itaque omnia, quæ illi anſam præbere poſſent v. g. monſtra, & monſtrorum ſimulacra, quæ in foro oſtenduntur, a gravidis amovenda ſunt.

§. IV.

Maxime cavendum ne ulla injuria reali, aut verbali, vel pœnis corporum afflictivis afficiantur: hæc enim embryonem, & ipſam matrem quandoque perdidiſſe viſa ſunt.

§. V.

Violentia externa gravidarum corpori, maxime utero illata, id multo citius præſtat, unde verbera, contuſiones abdominis, proſtratio violenta in terram, criminales ſunt contra gravidam actus, quin ob æque periculoſos effectus, terror validus doloſe incuſſus, aut ira ſtudio procurata crimine non vacat.

§. VI.

Fœminæ igitur ſe gravidam eſſe aſſerenti ſides habenda eſt interea, donec aſſerti falſitas per ſufficientia, quæ ſtatum contrarium indicare poſſunt, argumenta evidenter evincatur, ſæpe enim ſublæſtæ famæ ſubjectæ mulieres: feudi conſequendi: hæreditatis adeundæ: alimenti, infanti acquirendi: pœnas corporis afflictivas fugiendi cauſa graviditatem ſimulant.

*) Plurrimæ a contrario impregnationem diſſimulare ſolent, hinc ſtatum utrumque diſcernere multum intereſt.

§. VII.

§. VII.

Graviditas alia eſt *vera naturalis*, alia *vera præternaturalis*, alia *ſpuria*.

§. VIII.

Graviditas *vera naturalis* eſt, dum embryo in utero matris hæret; cujus ſigna ſequentia habentur: 1*mo* menſtrui fluxus citra morbum abſentia, 2*do* varia incommoda ut: carnium faſtidium, nauſea, vomitus, apetitus inſuetus, dolor capitis, vertigo, animi deliquia &c. 3*tio* os uteri clauſum, molle, & fere planum, ut digito tangenti oculi palpebris clauſi ſenſum præbeat, 4*to* ſucceſſivum abdominis incrementum, & uteri expanſi in regione hypocaſtrica globi adinſtar ſenſus, umbilici demum protuberantia, 5*to* vaginæ uteri elongatio & ampliatio, 6*to* motus embryonis ſtatuto graviditatis tempore, 7*mo* mammæ volumine ſucceſſive auctæ, & ſerum lactis ex papillis ſubin ad finem graviditatis exſtillans.

§. IX.

Alia inſtantis jam partus ſigna ſunt: abdomen ſuperne detumeſcens, iterum tumore in parte inferiore aucto, ad alvum & urinam deponendam ſtimulus, dolores dorſi & lumborum per intervala ſupervenientes, intenſitate & duratione perpetuo aucti, ordinario recurrentes, in quo-

rum præſentia abdomen indureſcit magis, & digito pudendis immiſſo os uteri in rotunditatem apperiri, & tendi ſentitur, per quod rotunda veſica aqua plena protruditur, ceſſante dolore os uteri, veſica hæc, & abdomen paululum flacceſcit, minus tenditur.

§. X.

Vera præternaturalis graviditas habetur, dum fœtus non in utero, ſed vel in ovariis, vel tubis Falopii, aut in cavo abdominis hæret; cujus ſigna initio graviditatis nulla, aut obſcura habentur, ubi vero abdomen in una parte tantum elevatur, motusque fœtus ibi manifeſtus adſit, nulla mutatio, alias in vera naturali graviditate præſens in vagina & ore uteri reperitur, probabile eſt, fœtum extra cavum uteri hærere.

*) Attentionem meretur, ſi fœtus extra uterum, placenta in utero haberetur.

§. XI.

Graviditas ſpuria fit ob corpus quoddam peregrinum fluidum vel durum in utero vel extra eum hærens, uti ſunt: mola, aer, aqua, & variarum partium excreſcentiæ.

§. XII.

Signa ejus ſunt: abdomen primis tribus aut quatuor menſibus increſcit adeo, ut graviditatem

ſexti

ſexti menſis adeſſe credas, non adeo rotundum, ſed molle & æquale eſt, umbilicus introtractus, motus fœtus nullus, collum uteri non nihil extenſum, ſi cauſa in utero hæreat, ſed os ejus immutatum manet, & alia veræ graviditatis ſigna abſunt.

§. XIII.

Aer & aqua cum vera graviditate conjuncta maxime incautos decipere valent: hic enim motus fœtus non adeo notabilis eſt; ſed os uteri attente conſideratum veram graviditatem ſimul adeſſe, abunde docere Steidele ſtatuit.

§. XIV.

Licet hæc graviditatis ſigna ſimul ſumpta, vel plura præſentia, probe expenſa artis peritos haud fallant, attamen cum omnia non ubique adſint, vel ex morbo adeſſe poſſint, hinc ſeorſim ſumpta nil docent; propterea ad graviditatem recte dijudicandam habendus ſimul aliquis ætatis reſpectus, an non fœmina impuber, aut ſenex ſit.

*) Etiam lac in mammis præſens fallere poteſt: dantur enim mulieres, quæ vel frequenti ſuctu, vel molli frictione naturam irritando, lac ſibi procuravere, imo nec in viris ſimilia exempla deſunt.

§. XV.

Sterilitas, quæ vivente marito prolis ſpem interceperat, impregnationem ante conjugis mortem factam ſuſpectam reddere poteſt; forte etiam ipſius defuncti facultates corporeæ dubio momentum addere poſſent.

§. XVI.

Graviditate in initio dubia judicium differendum donec manifeſtiſſima ſigna apparuerint.

§. XVII.

Graviditatis terminus ultra 280 dies, ſalvis matre, & fœtu, haud extendi ſolet, ſi exemplorum multitudinem conſulamus, quod in finem noni menſis ſolaris cadit. Hanc durationem tamen veteres decem menſium ſpatio menſurarunt, lunares intelligentes, quorum decimus uterum onere ſuo levaret, ideo Virgilius.

Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.

Ecloga IV.

Sæpe tamen fætus diutius in utero detinetur, ad completum decimum menſem ſolarem, & ad undecimum, nec deſunt exempla ad duodecimum, & decimum tertium, *e*) in quibus attendendum ne

---

e) Ad duodecimum menſem fætus geſtati exemplum infallibile indicat Joan. Phillip. Burggravius Hallero in Epiſtola 10. Volum. 1. Epiſtolarum ab eruditis viris ad Hallerum ſcriptarum Parte 1*ma*.

ne fraus ſubverſetur; hæc enim rariora ſunt, & in his obſervationibus cum publico communicandis caute procedendum, ne furtivis amoribus, in præjudicium ſæpe integrarum familiarum vergentibus, medicus patrocinari videatur.

CAPVT IV.

DE PARTV VITALI, MATVRO, LEGITIMO, PRAECOCI, SEROTINO, MORTVO.

§. I.

Homo in utero materno adhuc degens *fœtus* nuncupatur, exercitium vero potentiæ vitalis illum ex utero expellentis *partus* dicitur, quo nomine etiam fœtus excluſus, aut ſectione cæſarea eductus ſignificatur.

§. II.

Pro diverſitate mutationis a conceptu ad partum usque peractæ, partus vario nomine inſignitur.

§. III.

Partus vitalis eſt, qui non vivus tantum editur, ſed etiam propter organorum perfectionem vivere, & in vita poteſt conſervari, qualis eſt fœtus ſeptimo geſtationis menſe completo editus.

§. IV.

§. IV.

Partus vivus non *vitalis* eſt, qui ante ſeptimum menſem completum vivus quidem excluditur, & excluſus per aliquot momenta, diesve in vita poteſt perſiſtere, ſed ob vires in organis deficientes, vitam continuare haud valet. Hic alias *immaturus*, *præternaturalis*, *abortivus* dicitur.

§. V.

Partus *maturus*, & *perfectus* eſt, qui fit conſueto a natura deſtinato tempore, id eſt, circa finem trigeſimæ nonæ, aut quadrageſimæ hebdomadæ; ſeu ducentis octoginta diebus, vel novem menſibus ſolaribus finitis.

§. VI.

Partus maturus viribus firmis, corpore valido, decenter proportionato, pingui, unguibus perfectis, & capillis gaudet, ut plurimum ejulatu ſe prodit, mammas ſugere, & ſe libere movere, ſi præternaturale quid non impediat, aptus, & a ſeptem ad octo, imo ſedecim plane libras ponderat.

*) poteſt infans, abſoluto licet novem menſium termino, debilis, flaccidus, & exiguus naſci, ut abortivus videri poſſit, putarique, ac ſi propter vigoris defectum in vita conſervari non poſſit, cui tamen ſi præter magnitudinem ac robur nil deſit, legitimus eſſe haud negabitur, ſi ſimul

debi-

debilitatis ratio in patre, matre, vel fœtu inveniatur.

§. VII.

Partus *præmaturus* ſeu imperfectus eſt, qui conſuetum geſtationis terminum non adimplevit; hic ſenſu ſtrictiori inter ſeptimi & noni menſis a conceptione finem contingit, legitimus tamen eſt, & quia non vivus tantum, ſed & vitalis eſſe poſſit, privilegiis vitalitatis gaudet etiam, *præcox* audit.

*) In ſenſu latiori partus præmaturus cum abortivo idem eſt.

§. VIII.

In partu præmaturo magnitudo proportionata, & robur conſuetum deficit, toto corpore rubor ſolito major adeſt, variæ partes minus perfectæ ſunt, uti: ungues; capilli breviores, pauciores; oſſa capitis molliora; fontanella magis hians; palpebræ ſubin arctius conniventes, quaſi conglutinatæ; os, & nares veluti clauſæ, minus prominentes; ſomnus adeſt ſolito magis protractus; reſpiratio & motus non tam facilis; parvus, debilisque vagitus, in ſugendis mammis deficiens arte nutriendus eſt.

§. IX.

Fit partus præmaturus ob vehementia animi pathemata; vehementiorem abdominis, uterique con-

concuſſionem; qualis ſubin in ſaltu, equitatione, vectione in rheda fit, vim externam applicatam; pharmaca draſtica, hæmorrhagiam; convulſiones; varioſque alios morbos tempore graviditatis affligentes.

*) Has cauſas applicatas non æqualiter partus præmaturi excluſio ſequitur; nunc enim ſerius, nunc citius, nunc, ut in robuſtis, plane non contingit.

*) dantur inſuper gravidæ, quæ non tantum quandoque partum præmaturum excludunt, ſed etiam ſæpius determinato menſe, nulla cauſæ applicatione abortum patiuntur.

§. X.

Partus adhuc *legitimus* ſenſu juridico dicitur, qui ex juſto matrimonio provenit, ſenſu vero phyſico-medico partus vitalis, aut maturus hoc nomine declaratur.

§. XI.

Partus *ſerotinus* eſt, qui juſto a natura deſtinato tempore ſerius contingit, uti eſt decimeſtris &c. cujus exemplum capite præcedenti attuli. Notas partus legitimi habet, quin & robuſtior eſſe poteſt.

§. XII.

Cauſæ partum ſerotinum efficientes eſſe poſſunt: parentum debilitas *naturalis*; a temperamen-

mento, ætate incongrua dependens, *præternaturalis*; per morbos acquiſita, matris, fœtusque valetudo adverſa; inedia; triſtitia protracta; quæ fœtum alimento defraudant, fœtus extra uterum geſtatus; vel vivus vel mortuus.

§. XIII.

Exempla partus ſerotini rariora ſunt, & quædam illorum ideo forte ficta, cum tempus conceptus raro determinari poſſit.

§. XIV.

Hiſtorias quæ partum quindecim, aut ſedecim, & ultra menſium indicant, ad fabulas vel ad portenta amandare mallem: fœtus enim imperfecti, mortui, in utero matris diutius, ad annos etiam detenti, exempla circa graviditatis terminum nil evincunt.

§. XV.

Aetas partus ſecundum perfectionem corporis dijudicanda eſt: fœtus enim incolumitate gaudens perpetuum capit incrementum, primis triginta poſt conceptionem diebus piſi adæquat magnitudinem; 60 nucis avellaneæ; die 90. ad digiti longitudinem cum notabili partium diſtinctione explicatur; a die 120. ad 150. capitis oſſibus imperfectis ſpithamæ longitudinem attingit; a die 210. ad 240. mediocrem adipiſcitur magnitudinem;

circa

circa diem 270. tenelli corpuſculum perfectius evolvitur.

§. XVI.

Contingit & ſæpe mulierem *mortuum* in utero gerere fœtum, cujus cauſæ ſunt: triſtitia inſolita; morbi matris v. g. epilepſia, hæmorrhogia, vis externa adhibita; motus corporis violentus; potus calidi; remedia emenagoga; defectus nutritionis; umbilicus contortus, & aliæ plures fœtum in utero enecare valentes.

§. XVII.

Signa fœtus mortui ſequentia habentur: 1mo cauſæ prægreſſæ fœtum enecantes; 2do. abdomen proportionate non auctum, rugas formans, umbilicusque introtractus, 3tio motus fœtus per plures dies nullus, 4to ex mammis flaccidis aquoſi, ex genitalibus vero nigricantis, putridi humoris effluvium.

*) Hæc probabilitatem evincunt, non tamen facti certitudinem præbent.

§. XVIII.

Sæpe etiam fœtus primo obit in partu, quod noſcitur ex partu protracto, laborioſo, præternaturali; partis primo prodeuntis tumore, molli, collabente; funiculi umcilicalis pulſu nullo; & ſignis vitalitatis non diu ante præſentibus; abſentibus tamen ſignis putredinis.

CAPVT

CAPVT V.

DE GEMELLIS, SVPERFOETATIONE, PARTV PRIMIGENIO, SVPPOSITITIO.

§. I.

Non ſemper unicus & ſolus excluditur fœtus, interdum *gemelli*, *trimelli*, *quadrimelli*, uno eodemque partu, licet nonnullis horis intercedentibus enituntur. Tergeminos Horatios, Curiatiosque fuiſſe ex hiſtoria romana habemus; ante paucos annos Pragæ exemplum ſimile in uxore lanionis apud VV. PP. Crucieros cum rubra ſtella inſervientis (quæ tergeminos peperit filios) ſe nobis obtulit; Prima Aprilis anni currentis, quadrimellos duos pueros, puellas duas, in binis placentis Pragæ peperit fœmina judæa, omnes vivas ſat magnas proles, quæ tamen omnes quadraginta octo horis a nativitate elapſis interierunt. Septem infantes uno partu excluſos habent Acta Naturæ Curioſor. *f*)

§. II.

Pro numero maturitatis ovulorum, & fæcundationis ſimultaneæ, uno congreſſu factæ gemelli, trimelli &c. generantur embryones.

---

f) Decade 3. Anni 7. Obſerv. 210.

§. III.

Quod ſi fœcundatio hæc diſtinctis amplexibus non longo intercedente tempore contingat, *ſuperfœtationem* appellant, de cujus poſſibilitate authores concertant, & adhuc ſub judice lis eſt.

§. IV.

Mulierem gemellos utero gerere tantum in partu determinari poteſt, ſi uno fœtu enixo abdomen parum detumuerit, durumque manſerit, & accedente dolore nova veſica aqua diſtenta per os uteri protrudatur, quod ultimum tantum in gemellis diverſis involucris incluſis contingit.

§. V.

In geminorum ac trigeminorum partu, quis illorum primo editus ſit attendendum eſt, atque ſtatim ſignandus (hic enim jure *primogenituræ* gaudet) qua cautela neglecta nil certi determinari poteſt.

*) Apud hebræos hic ex gemellis jure primogenituræ gaudet, quem mater, aut obſtetrix, primis ſeptem poſt partum diebus primogenitum eſſe aſſeveraverit, quo neglecto, in hunc cadit, quem pater pro primogenito aſſumpſerit; ſed in gemellis poſt mortem patris natis, hæc locum non habent.

§. VI.

§. VI.

Primogenituræ prærogativa cadit etiam in gemellos ſectione *cæſarea* obtentos, ille enim primogenitus habendus eſt, qui primus in manus chyrurgi inciderit.

§. VII.

Fœtui *Suppoſititio* jura legitimi non competunt, hinc ſuborta fictæ graviditatis ſuſpicione in graviditatem inquirendum, aut fœmina ad tempus partus usque cuſtodienda eſt.

§. VIII.

Quod ſi de infante jam in lucem edito lis ſit, ſigna partus peracti veritatem eruere ſinunt, uti ſunt: vagina uteri ampla; brevis; os uteri dilatatum; lochiorum fluxus; mammæ lactæ copioſo turgidæ; faciei pallor; abdomen rugoſum; fœtus recens editi umbilicus etiam quid docere poteſt.

§. IX.

Diſparent autem hæc poſt alicujus temporis a partu decurſum, ut certi quid erui nequeat. Nam a ſimilitudinis defectu, quod filius patrem, filia matrem haud referat, mendacii, fraudisque, ac impoſturæ arguere debilis foret argumentatio.

CAPUT VI.

DE MOLA.

§. I.

Mola adeſſe dicitur ubi loco fœtus veri, maſſa informis haud animata utero geritur, & excluditur, modo quidem ſola, modo cum fœtu conjuncta, modo ipſum fœtum, etſi rariſſime, includens. *g*)

*) Partem vel totam placentam poſt partum in utero relictam, etiam in molam degenerare poſſe aſſerit Steidele.

§. II.

Differentiæ molarum multæ ſunt: dantur enim molæ *aquoſæ*; *veſiculares*; *carnoſæ & vaſculoſæ*; inſtar ſanguinis *congrumati* & *membranula* involuti; *carnoſæ figuratæ*; quæ varias animalium *ſpecies* vel *partes* repræſentant, motusque alicujus capaces ſunt; flatu turgidæ ſive *ventoſæ*.

§. III.

Signa molarum diagnoſtica primis menſibus aſignis graviditatis veræ non differunt, plane quando mola cum fœtu conjuncta exiſtit; cæterum tumor ventris adeſt admodum durus, minus tractabilis, major quandoque quam in vera graviditate, abdomen a compreſſione dolet, & in pubis

g) Kerckring in Spicileg. Anatom. Obſerv. 95.

pubis regione pondus moleſtum obſervatur; moles uteri de latere in latus volvitur, motus nullus percipitur, mater languida redditur, & in cachexiam vel tabem incidit, completoque conſueto geſtationis tempore partus inſtantis ſigna abſunt.

§. IV.

Cum molæ præſentia motus ſpaſtici quandoque adſunt, qui duri, renitentes, ac convulſivi ſunt; ubi motus infantis molles, ac articulati deprehenduntur.

§. V.

Mulier tamen utero molam gerens quoad ſuam perſonam privilegiis gravidarum gaudet.

CAPUT VII.

DE MONSTRIS.

§. I.

Monſtrum partus eſt, qui vel ratione univerſi corporis, vel quarundam tantum partium a forma ordinaria & naturali recedit, ita, ut etiam aliam præſeferre videatur ſpeciem; hunc veteres *Oſtentum, Portentum, Prodigium* appellabant; malum omen portendere ſibi imaginantes.

 §. II.

§. II.

Fœtus humanus prorſus in aliam ſpeciem mutatus, brutum penitus repræſentans, dari poſſe non admittitur; hinc hiſtoriæ tales ad figmenta, & fabulas referendæ.

*) hominum cum brutis congreſſus ſodomitici cauſam monſtrorum præbentes, juſte in dubium vocantur: homo enim ſui ſimile non quoad partem, ſed quoad totum eſſentiale progenerat.

§. III.

Quidam monſtrum inter ac portentum diſtinguunt, *Monſtrum* vocant ubi capite excepto omnes, vel quædam tantum partes brutorum æmulantur figuram, vel ubi omnes corporis partes naturaliter ſunt conſtitutæ, caput autem ſpeciem mutat humanam. *Ad portenta* referunt corporis totius vel partium quarundam *magnitudinem auctam*: ut in gigantibus; *imminutam*: ut in pigmeis; *numerum excedentem*: ut in bicorporeis vel bicipitibus; *deficientem* ut in acephalis, monoculis; *figuram mutatam*: ut in gibboſis, *nexum*; ut in illis, qui digitos concretos gerunt; *ſitum*: ut in illis, quibus partes quædam alio loco ſitæ ſunt, videre eſt. *b*)

*) Fœtui

---

b) Kannegieſſer Inſtit. Medic. Legal. §. LXXXIV. fol. 29.

*) Fœtui monſtroſo a figura humana etiam pro parte recedente, jura ex filiatione dependentia denegari non poſſunt.

§. IV.

Monſtrum *bicorporeum*, duplici capite inſtructum pro duplici homine habendum eſt; ita etiam duplici inſtructo capite *monocorporeo*, ob duplicem animæ præſentiam jura eccleſiaſtica; *bicorporeo* unico capite inſtructo, ob duplex corpus uno ore nutriendum jura civilia duplicis hominis competere debere privilegia decidunt.

*) Plerumque monſtra, imprimis difformia per abortum excluduntur, aut ante partum, aut brevi poſt intereunt.

CAPVT VIII.

DE SEXV AMBIGVO.

§. I.

Olim de *Hermaphroditis* multa! hodie ab omnibus fere prudentioribus negantur; videntur alias impoſuiſſe fæminæ habentes clitoridem longitudine, nymphasque magnitudine monſtroſa difformes, quarum hæc membri virilis, illæ vero teſtium obtinuerunt formam; vel viri tantum dicti hermaphroditi erant, præter hilum, cui nullus reſponderet uterus, nihil habentes; aut qui-

bus ſcrotum vacuum, in medio contractum, vulvam repræſentaverat.

§. II.

Si genitalibus fœtus prorſus careret (quod tamen rariſſime contingit) anatomici quasdam ſexus notas derivare contendunt ab oſſe coccygis, coſta ultima ſpuria, atque claviculis: iſtud nimirum maſculis antrorſum curvatum, fæmellis rectum, illam iſtis breviorem, his longiorem; atque has illis magis incurvas, his rectiores eſſe aſſerunt.

CAPUT IX.

DE MORBIS FICTIS ET CELATIS.

§. I.

Morborum ſimulatio non ſolum a mendicantibus malitioſis commiſerationis excitandæ, ſed etiam ab accuſatis inquiſitionis evitandæ, pœnæ prævertendæ, & ab aliis militiæ fugiendæ cauſa interdum exercetur; imo dabatur ſceleſtiſſimorum hominum genus, qui propter ſanctimoniæ opinionem, morbos fingebant, ut ſe celebriores reddant; verbo, damni prævertendi, lucrique captandi cauſa morbi ſimulantur, & diſſimulantur,

§. II.

§. II.

Morbi, quibus imponere ſolent ſimulantes, varii ſunt: febris; dolor; ulcera; affectus ſoporoſi; apoplexia; epilepſia; ſyncope; paralyſis; mania; melancholia; mentis ſtupiditas; ecſtaſis, dæmonia; ſurditas; aphonia; aſthma; cordis palpitatio; calculus; fracturæ; cachexia; convulſio.

§. III.

Ut morbi ficti a veris diſcernantur, & a medicis, ſi opus eſt, rite judici referantur, horum ſigna pathognomica bene perpendenda, & cum ſimulatis comparanda ſunt, videndo an diagnoſtica adſint nec ne, examinandæ ſunt cauſæ, habitus corporis, ætas, diſpoſitio, vita ante acta, morbi antecedentes, morbi duratio, tempus, magnitudo aut violentia, ſubjectum, in quo morbus primario exiſtit, effectus remediorum, nec pulſus, aut urinæ obliviſcendum, ægerque ſæpius diverſo tempore viſitandus eſt; maxime tamen peritia medici, aſtuta etiam detegere debet fraudem imponere ſtudentis, videndo quæ ex actionibus vitalibus, animalibus, naturalibus, motibus automaticis, in poteſtate hominis ſint, & quæ non, v. g. in epilepſia admota luce vivida ex pupillæ conſtrictione veritas erui poteſt: hæc enim in vere epilepticis immobilis manet, contra in epilepſia ſimulata, ita & affectus ſoporoſi fi-

ĉti vim remediorum ſternutatoriorum effugere non poſſunt. &c. &c.

* Non morbos ſolum, ſed & eorum ſtatus, periculique gradus judæis determinare ſæpe neceſſe eſt: nam eorum dona ob mortem certo imminentem facta, etiam in hæreditate nullam partem habentibus valida ſunt, ſed morbo finito, mortisque periculo abſente, dona hæc nullum obtinent locum, etiamſi æger demum ex alia moriatur cauſa.

§. IV.

Non tantum morbi finguntur, ſed etiam, præprimis morbi matrimonium impedientes (de quibus alibi) a muneribus publicis, vel ſocietate humana excludentes, ut: morbi contagioſi, maligni, peſtis, lues venerea &c. celari ſolent.

§. V.

Vere autem contagioſi illi morbi dicendi ſunt, qui materiam morbi in ægris evolutam, & maligniorem redditam, ita ſubtiliſatam ſiſtunt, ut halitus maligni ex corpore ægri prodeuntes, a ſano ſuſcipi, & morbum ſimilibus fere ſymptomatibus ſtipatum excitare queant. Hi autem morbi contagioſi in duo genera diſpeſcuntur, quorum prius illos ſiſtit, qui ex epidemiis univerſalibus oriuntur, ſubinde maligniores, & tandem contagio nocentes fiunt, multosque e vita tollunt,

ſunt, cauſis vero poſt modum ſopitis ceſſant, nulla veſtigia relinquunt, nec unquam redeunt, niſi ex ſimilibus vel aliis cauſis iterum incendantur. Alterum genus eorum eſt, qui ſpecifico aliquo contagio nocent, & vel chronici ſunt, vere ſporadici dicendi, ut: ſcorbutus, ſcabies, venerea lues; vel acuti ſæpe epidemici, raro ſporadici, ut variollæ, morbilli &c. *i*)

§. VI.

Contagium non tantum per res non naturales, medicis ita dictas, ſed etiam per immediatum contactum, per veſtimenta, ſupellectilia, vel per mercimonia, præſertim ex lana confecta communicari experientia docuit.

§. VII.

Contagium in morbis celatis ſuſpicari poteſt, ſi merces, vel perſonæ ex infecto adveniant loco; ſi peregrinantes actu febre acuta laborent; vel ea paulo poſt corripiantur; vel ſi quid ſimile illis ſuperveniat, qui mercimonia, ſupellectilia, & perſonas ſuſpectas tractant.

§. VIII.

An dentur morbi hæreditarii, ſunt plane, qui diſſentiant, medici, an familiæ podagricæ, pthyſicæ, calculoſæ &c. quid docere videntur?

CAPVT

---

i) Ludvig Volum. 1. Part. II. fol. 205.

CAPVT X.

DE MALA MEDENDI RATIONE.

§. I.

Medici ob irritam curationem, & lethalem morbi eventum immerito culpantur, eorumque fama contra ejusmodi ſtultorum inculpationes (dantur enim malevoli, qui vel invidia ducti, vel ut juſto medicos defraudent ſoſtro, malæ curationis eos arguant) defendenda eſt, ſi morborum cauſæ atque effectus tolli nequeant (omnes enim morbi curabiles non ſunt (aut ſi ab initio adeo neglecti, aut mala curatione, aut conſimili diæta adeo exaſperati ſint, ut nulla rationalis cura locum amplius habeat, dummodo medendi methodus artis regulis conſentanea adhibita fuerit.

*) Vt judex exactiſſimam morbi deſcriptionem (rariſſime talem exſpectandam) remediorumque applicatorum effectus collegiis medicorum ad decidendum an recte adhibita fuerint, nec ne, tradat, neceſſe eſt; quæ dein collegia caveant ne ex incompleta morbi deſcriptione, aut hypotheſibus ſcolaſticis, ſententiam damnantem proferant.

§. II.

Culpa vero non vacant medici, ſi magis ob negligentiam errorem quendam in methodo medendi commiſerint.

§. III.

Frequentiſſime hoc in paſſu ab agyrtis peccatur, qui pharmaca draſtica, nociva cum valetudinis damno ac jactura indiſcriminatim cuique, doſi juſto majori propinant, & tamen, proh amentia! avidiſſime a vulgo expetuntur.

§. IV.

Sed hi in illicito verſantur, &c. ex præſcripto *AVGVSTISSIMAE IMPERATRICIS MARIAE THERESIAE* tolerandi non ſunt, ſed quam primum a phyſico circuli, aut civitatis (cujus etiam pſeudomedicis invigilare officium eſt) deteguntur, ad Cæſareo Regium Circuli Officium defferendi ſunt, ut in tempore compeſcantur. *k*)

CAPVT XI.

DE MALA PHARMACORVM CONDITIONE.

§. I.

Cum ad ſalutem recuperandam recta pharmacorum ſimplicium conditio, ut ſcilicet genuina, optimæ notæ, atque incorrupta ſint, & compoſitorum ad præſcriptas regulas præparatio, abſolute requiratur; ſic ubi pharmacopæus ob igno-

k) Sanitäts Patent ſub dato 10. April. Anno 1773.

ignorantiam deceptus, vel avaritia ductus, ſpuria vel adulterata coemerit, aut ex negligenti aſſervatione ea corrumpi ſiverit, aut compoſitorum præparationem male adminiſtraverit, aut carioribus ommiſſis, viliora, inepta, aut ſcopo plane contraria ſubſtituerit, atque ſic optato effectu ægrum & medicum ſpoliaverit, mercium ſimilium ablatione, & ſi dolus acceſſerit, graviore mulcta afficiendus eſt.

§. II.

Si de malis ejusmodi medicamentis lis orta atque ad forum delata ſit, illa ipſa tanquam corpus delicti actis adponenda, & a collegiis medicorum inquirenda ſunt.

§. III.

A Pharmacopæorum diſcipulis innocuorum medicamentorum loco, draſtica & deleria ex ignorantia data fuiſſe triſtis docuit experientia: hi a pharmacorum diſpenſatione prorſus arcendi ſunt, donec artis pharmaceuticæ ſufficienter gnari fuerint, quod ſi tamen in eo, cum ſanitatis vel vitæ jactura peccaverint, culpa ac pœna in ipſum pharmacopæum talia non impedientem maxime recidit.

PARS

PARS III.

IVRISPRVDENTIA MEDICO-ECCLESIASTICA.

CAPVT I.

DE EA IN GENERE.

§. I.

In foro eccleſiaſtico multæ quæſtiones ex principiis phyſico-medicis decidendæ obveniunt, nempe: de monſtroſorum baptizmate; de ſacra Synaxi in dubio mentis ſtatu; de jejuniorum eccleſiaſticorum obſervatione; de ſacra periculoſe decumbentium cura, de habilitate ordines eccleſiaſticos recipiendi; de cauſis dignitates, atque officia eccleſiaſtica tollentibus, vel ea non auſferentibus; de illibato virginitatis ſtatu; de ingravidatione; de habilitate ad conjugium ineundum; de juſtis divortii cauſis; de verbis & factis irreligioſis in dubio mentis ſtatu conſtitutorum; de dæmoniacis; atque de autochirorum ſepultura, de quibus ſingillatim in ordine agere conſtitui.

CA-

CAPVT II.

DE IMPEDIMENTIS ORDINES ECCLESIASTICOS SVSCIPIENDI, ET CAVSIS OFFICIA ECCLESIASTICA TOLLENTIBVS, VEL RELINQVENTIBVS.

§. I.

A ſuſcipiendis ordinibus eccleſiaſticis arcentur lunatici, dæmoniaci, mente capti, cœci, muti, manu, aut digito requiſito deſtituti, inſigni formæ, aut corporis deformitate, riſum, aut horrorem commovente præditi, pigmæi, notabilem in modum gibboſi, aure mutilati, oculo ſiniſtro ſeu canonico carentes, leproſi, paralytici, epileptici, membro vel parte membri ſponte mutilati.

§. II.

Sed ſi id caſu, aut vi externa adhibita v. g. ſi in perſecutione cuidam virilia amputata fuerint, acciderit, nullum ponit impedimnetum l).

§. III.

Si teſticuli non in ſcroto, ſed in ſacculo pæritonei celluloſo latuerint, quod quandoque in recens natis, rarius in adultis obſervatur; ſcilicet quando nonniſi unus, vel nullus teſticulus in ſcrotum

l) Decret. pr. I. Diſtinct. LV. c. VII.

tum deſcenderit, & tum *Monorchydes* vel *crypſorchides* dicuntur, ac minime impotentes ſunt, illud ſacris ordinibus ſuſcipiendis ineptos non reddit.

§. IV.

Et quemadmodum voluntaria corporis ſui mutilatio honoribus atque officiis eccleſiaſticis indignum reddit, ita & in iisdem jam conſtitutum munere ſuo privat. *m*)

§. V.

Quædam corporis vitia dignitates, atque officia eccleſiaſtica limitant tantum; *n*) mutilatus manu, ſi promotus fuerit in Abbatem, ab abbatia deponitur; *o*) presbyter, cui palmæ medietas cum duobus digitis eſt abſciſſa; miſſam non celebrat, ſed cæteris ſacerdotalibus fungi poteſt, *p*) cui oculus erutus eſt, ſacerdotis jura præſtanda non ſunt. *q*) Presbyter, qui duello digiti partem amiſit, ex Epiſcopi ſui diſpenſatione in ordine ſuo diſpenſare poteſt *r*) Sacerdos qui ſine cauſa virilia ſibi fecit abſcindi, credens inde mereri, de Epiſcopi

m) Canon. ſanct. Apoſtol. XXII.
n) Decret. Gregor. L. I. T. IX. C. VI.
o) Decret. L. III. tit. VI. c. II.
p) Decret. pr. I. Diſtinct. LV. c. XIII.
q) Decret. Greg. L. I. tit. XX. c. I.
r) L. c. Cap. IV.

pi diſpenſatione officium, præter altaris miniſterium exercere poterit.

§. VI.

Si quis ad majus malum evitandum, & mortis periculum arcendum, corporis ſui mutilationem curationis ergo admiſerit, dolo & culpa vacans, dignitatem atque officium merito retinet. *s*)

§. VII.

Corporis infirmitate ad tempus laborans, & dignitatem & beneficia ſibi collata merito retinet, ſed ab officii præſtatione tam diu liber eſt, usque dum cum valetudine ſecunda in gratiam redierit, viresque ad munus ſuum explendum neceſſarias recuperaverit. *t*)

§. VIII.

Licet recuſare clerico, ſi tanta adſit debilitas corporis, & tale ſenium, quod officii ſacri uſum impedit, Epiſcopo vero, qui propter ſenectutem vult cedere non datur cedendi licentia, ſi eccleſiæ ſuæ neceſſarius vel utilis ſit *u*) ſed coadjutor illi ſubſtituitur.

CA-

s) Decret Gregor. L. I. tit. XV. c. V.
t) Decret. pr. I. Diſtinct. LV. c. XII.
u) Decret. Gregor. L. I. tit. IX. c. I.

CAPVT XII.

DE MOLARVM, MONSTROSORVM, HERMAPHRODITORVM, AC FOETVS IMMATVRI BABTIZMATE.

§. I.

Recepta apud Iuris Conſultos inter fœtum animatum, & non animatum eſt diviſio, fœtus *animatus* dicitur, dum motus ejus in utero percipitur; ſed medice ac phyſice loquendo illa diſtinctio nullum meretur locum; vita enim hominis in conſociatione mentis cum corpore conſiſtit, quæ conſociatio primo conceptionis momento contingit, hinc illico fœtus animatio adeſt, nam homo hominem, non quoad partem, ſed quoad totum eſſentiale progenerat, eſſentia autem hominis in corpore & anima unitis poſita eſt, proin fruſtra ſe torquent omnes illi, qui terminum animationis quocunque poſt conceptionem tempore tardiore quærunt.

§. II.

Hanc fœtus animationem luce meridiana clariorem eſſe agnovit ſalutis animarum ſtudioſiſſimum Archiepiſcopale Conſiſtorium Pragenſe: dum enim de Babtizmo agit *v*) ſequentia propo-

 nit:

v) In libello Unterricht für die Hebammen An. 1771.

nit: Und mit dieſem habt ihr alle unzeitige Geburten, weſſen Zeit ſie immer ſind, ſofern ſie nur nicht augenſcheinlich verfaulet ſind &c. zutaufen. Et alibi: wollen wir auch, daß die kleinſten unzeitigen Geburten, ob ſie ſchon noch in dem Häutlein eingeſchloſſen, wenn ſie auch nur einige Tage von der Empfängniß alt, und nicht augenſcheinlich verfaulet ſind, wie auch alle Monkinder, oder Mola, von euch getaufet werden.

§. III.

Requiritur quidem ut aqua capiti in baptizmo affundatur, in cujus impoſſibilitate alia pars principalis, ut pectus, humeri, aut nulla harum in conſpectum veniente, præter manum aut pedem, aut digitum, hæc baptizanda erunt, conditionate tamen: Wenn du fähig biſt, ſo taufe ich dich &c. dum vero pars nobilis in conſpectum venit, illi de novo baptizmus conferendus eſt adjecta conditione: Wenn du nicht getaufet biſt, ſo taufe ich dich &c. ut in citato antea libello.

§. IV.

Et cum ſæpe ovulum muliebre a ſemine virili imprægnatum in molam degeneret, etiam molas baptizandas, laudatum antea Conſiſtorium Pragenſe præcipit, ut ex §pho 2da allatis, & ſequentibus clare patet: Und nachdem das Häutlein, oder das Monkind (Mola) aufgeſchnitten

iſt:

iſt: ſollet ihr ſelbes abermal bey dreymaliger Eintauchung in ein natürliches Waſſer, unter dieſen Bedingniſſen taufen: Wenn du fähig, und noch nicht getaufet biſt, ſo taufe ich dich &c.

§. V.

Quod ſi mola, tunc multo magis monſtrum, utpote a forma humana minus diſcrepans, ſacro lavacro abluendum eſt: nam ab homine nil niſi hominem progenerari poſſe ſupra dixi.

§. VI.

Circa baptizmum monſtri bicipitis, uno cæterum corpore præditi ſequentia in libello antea citato notata reperiuntur im Falle ein Leib mit zweyen Köpfen gebohren würde: müſſet ihr die Mißgeburt in einem Kopfe ohne Bedingniß; in andern Kopfe aber mit Bedingniß taufen und ſprechen: Wenn du nicht getaufet biſt, ſo taufe ich dich &c. Sed cum ſedes animæ in ſenſorio communi ab omnibus hodie medicis & phyſicis juſto ſtatuatur, & cum in duplici capite duplex ſenſorium commune, atque duplex ſedes animæ, conſequenter duplex anima reperiatur: indiſcriminatim utrique capiti baptizmum conferendum eſſe, quisque intelligere poteſt.

§. VII.

Monſtra bicipitia, duplicique corpore inſtructa, tanquam duos homines conſideranda eſſe, quis dubitat?

§. VIII.

Quid de baptizmo hermaphroditorum cenſendum ſit, ex capite de Hermaphroditis patet: cum perfecti, qui ſexum dubium reddant, non dentur, & ſi darentur, id eſſentiam baptizmi non mutaret, hæc enim in imponendo nomine non conſiſtit.

*) Si quis infantes judæorum necdum ſeptimum annum agentes, a parentibus non derelictos, aut abjectos, ſine conſenſu parentum baptizaverit, ad expenſas, infantis apud chriſtianos educandi, ſolvendas tenetur; cujus ſi incapax ſit, infans in hoſpitali educandus eſt, & nunc ſimilis baptizans mulcta mille ducatorum, & incarceratione duorum annorum puniendus, a quo tamen liber evadit, ſi atteſtatum medici, chyrurgi aut obſtetricis declaraverit, infantem in ſummo periculo mortis fuiſſe, hancque certam exſpectandam habuiſſe. x) Hæc per tranſennam.

CA-

x) Pragmatikal Geſetz 1765.

CAPVT IV.

DE IEIVNIIS ECCLESIASTICIS.

§. I.

Infantes ſeptimo a nativitate anno ad abſtinentiam, adoleſcentes vigeſimo primo completo ad jejunium obligantur.

§. II.

Dantur tamen cauſæ a jejunio excuſantes; qua ratione non tenentur infirmi, convaleſcentes, prægnantes, lactantes, labori valido addicti, ſenes decrepiti.

§. III.

Dantur morbi quidam jejunia eccleſiaſtica minime tollentes, quin ad nonnullos minuendos, vel profligandos, hæc potius conferunt; uti v. g. qui a plethora originem ducunt, ob illos igitur ex præconcepta opinione jejunia detrectantes, erroris ſui a medicis convincendi ſunt.

§. IV.

Sed morbi ab humorum *cacochimia* ſeu mala qualitate pendentes, cum magna virium proſtratione conjuncti, jejunia minime ferunt, ſed eorum obſervatione in pejus ruunt, & in talibus

caſibus a prudente medico dijudicandis atque in foro eccleſiaſtico pronuntiandis, exceptio a regula locum juſtiſſimum invenit.

*) Caveat tamen medicus probus, ne doloſam morborum fictionem teſtimoniis ſuffulciat.

CAPVT V.

DE SAGIS ET DAEMONIACIS

§. I.

Magia Deos intermedios ſeu *Dæmones* colendi, & ad quæcunque flectendi, ars & ſcientia ita dicta eſt; ſeu eſt acceſſus mentis ad *ſatanam* cum conatu, & fiducia, aliquid ab eo obtinendi.

§. II.

Magi quidquid amicis ſalutare, & gratum, quidquid inimicis exitioſum, quidquid ipſis utile & commodum dici poterat, id omne ſe effecturos eſſe haud difficulter rudi populo perſuadebant, nam Deorum authoritate, & dæmonum ope, eorum operationes fieri receptum fuerat, utpote quod vincula noſcerent eos ſibi conciliandi.

§. III.

Nugas has riſu digniſſimas tam jus germanicum, quam Canonicum Auſtriacum, & ſana ratio

tio dudum refutarunt: nullam enim eſſe diaboli poteſtatem, eum nec evocari ab hominibus, nec in ſpecie quadam comparere, nec pactum expreſſum, aut tacitum cum eo iniri poſſe Concilium Bracarenſe decrevit. (*y*) Homines illi, qui in inquiſitionem inciderunt, plerumque erant temperamenti melancholici, morbis hypochondriacis, & quadam dementia affecti, quorum confeſſiones ad deliria ſpectantes, nullam merentur fidem.

§. IV.

Si homines ſanæ mentis in inquiſitionem incidiſſe ponas, quod utique ob horrendam leviſſimorum indiciorum copiam, facile evenire potuit, tum exquiſitiſſima, diuturna, & continua tormenta (modus ſane procedendi contra ſagas ab omni ratione alienus) præſto erant, ex quibus ſecutas eſſe illas confeſſiones adeo mirum non eſt, ut non confitentes potius magiæ accuſari debuiſſent. Pulchre hanc in rem ſequentia adduci poſſunt: Pater Fridericus Spee Jeſuita, vir eximius confeſſarius in diœceſi Wirceburgenſi & Bambergenſi per plures annos diſponendis ad mortem mulierculis imputatæ magiæ reis adhibitus, in hæc prorupit verba: (*z*) Ego id cum juramento depono, me quidem nullam hactenus

 ad-

(*y*) Concilium Bracarenſe I. Can. 8.

z) In Libro ſub titulo Theologi Romani Dub. XXX.

ad rogum duxiſſe, de qua omnibus conſideratis prudenter ſtatuere potuerim eſſe ream.

Liceat mihi adhuc adferre, quæ in re tanti momenti nunc laudatus, & in hac materia expertiſſimus Pater porro adferat. (*aa*) Ea eſt, inquit: ut plurrimum conditio torturæ, ut cum ultro, citroque, ea, quæ id genus vidi, legi, & audivi, apud me memoria pervolvo, decernere non poſſum aliud, quam, quod frequens & morale periculum innocentibus inducat, & Germaniam noſtram impleat ſagis, ac inauditis ſceleribus. Et tandem concludit: omnino ſentio cum ornatiſſimo quodam viro, & amico meo, qui ſic loqui ſolet lepide, & vere; quid, inquit, tam ſolicite maleficos quærimus? Heus, inquit, judices! oſtendam exemplo, ubi ſint! agite rapite Capucinos, Jeſuitas, religioſos omnes, & torquete, fatebuntur; ſi adhuc obſtinati ſint, exorciſate, detondite: utuntur maleficio, obdurat eos dæmon, vos procedite, tandem dabunt manus. Tum ſi plures vultis, rapite Eccleſiæ Prælatos, Canonicos, Doctores, fatebuntur. Nam quid miſeri, & delicati, qui ſubſiſtent? quod ſi adhuc plures vultis, vos ipſos ego torſero, & vos

aa) In Libello aureo, ſub titulo Cautio criminalis de proceſſibus contra Sagas Dub. XX. ad quæſtionem quid de tormentis ſentiendum ſit.

vos me deinde, non diffitebor, quod vos faſſi eritis, ſic omnes magi ſumus. Et iterum: *bb)* ſic ſæpe mecum ratiocinari ſoleo, quod non omnes nos magi ſumus, hanc unicam eſſe rationem, quod tormenta ad nos non attingant. Veriſſime quidam nuper inter ſcyphos, & ipſe magni Principis inquiſitor jactare auſus eſt, ſi ſub ſuas manus & tormenta, vel ipſe Pontifex veniret, ſine dubio tandem ſe maleficum quoque eſſe confeſſurum.

§. V.

Providentiæ divinæ, atque virorum prudentiſſimorum, optimarumque in rempublicam partium operæ debemus, quod pyræ tandem ardere ceſſaverint, nec publica juſtitiæ adminiſtratio, in religionis, ac rationis humanæ dedecus, injuſtis cædibus commaculetur. Diſtædet meminiſſe, quanta temporibus ſuperſtitioſis mala, atque damna inde orta ſint. In ſola Lotharingia ſæculo decimo ſexto, nongentos homines ſub ſortilegii titulo, intra quindecim annos concrematos eſſe Nicol. Remigius Ducis Lotharingiæ a conſiliis intimis, quaſi re bene geſta gloriatus eſt. *cc)*

§. VI.

Maleficos homines venenis &c. aliorum valetudinem lædere, quin eos occidere poſſe, nulli dubio

bb) Dub. XLVIII. arg. 4.

cc) In tribus de Dæmonolatria libris Francofurti Anno 1697. editis.

dubio ſubjacet; nociva autem hæc nonniſi per immediatum contactum lædunt & phyſicam in corpus diſtans actionem (qualis in magia ſupponitur) locum non habere, a philoſophis dudum demonſtratum eſt.

§. VII.

De Dæmoniacis Theologorum ſententias impugnare aut inter ſe conciliare ad forum medicum non pertinet; at ex rerum non naturalium & cauſarum morbificarum ignorantia, plures pro dæmoniacis falſo habitas fuiſſe, manifeſtum eſt; phantaſiam corruptam; maniam, furorem uterinum, ecſtaſim hyſtericam, catalepſim, motus epilepticos, varioſque ſpaſmorum rigidorum cum mentis alienatione, atque eclipſi conjunctorum ſpecies v. g. tetanum, emproſthotonum, apiſthotonum, huc referre poſſum. Et nuperrime Viennæ dæmoniacus, ſana ratione deſtitui judicatus, ad noſocomium ſtultorum delatus eſt.

Et jam Paulus Zacchias Romani totius ſtatus eccleſiaſtici Protomedicus Generalis Innocentii X. Pontificis maximi medicus primarius de dæmoniacis ſequentia propoſuit: *dd)* Illi proprie dæmo-

dd) In quæſtionem Medico Legalium Tom. I. Libr. II. Tit. I. Quæſt. XVIII. Num. 3. Francofurti ad Moenum Anno 1688. edito.

dæmoniaci dicendi ſunt, qui ex melancholiæ vitio, quo tanquam inſtrumento utitur dæmonium eos obſidens, in inſaniam aguntur, *ee*) illud præmonuiſſe præſtat, multos & præcipue idiotas, & mulierculas, inter has autem maxime virgines, quæ jam ætate maturæ non purgantur, dæmoniacas exiſtimari, cum tamen non ſint. Et porro *ff*) itaque dæmoniaci furentibus & inſanis æquiparandi &c. Alibi *gg*) Dæmonium corpus obſidens tamen præcedit ſemper corporis diſpoſitio quædam ex melancholia, ſeu atra bile prædominante, ac turgente, quæ hominem ad inſaniam concitat. *hh*) Ad quod etiam probandum facit, quod etiam dæmoniaci, & a malo ſpiritu obſeſſi poſt exorciſmos & Eccleſiæ præces naturalibus auxiliis, & remediis juvantur. *ii*) facit inſuper ad hoc ipſum evidentius probandum, quod de Saul in Sacris recitatur Reg. Lib. I. c. 18. qui ex pulſatione citharæ per manus Davidis quietem capeſſebat ex mali ſpiritus agitatione, quod remedium, etiamſi ſupranaturale pie exiſtimandum ſit, tamen naturalem habet cauſam.

§. VIII.

ee) Quæſtione eadem Nro 4.
ff) Quæſtione eadem Nro 11.
gg) Quæſtione eadem Nro 13.
hh) Quæſtione eadem Nro 15.
ii) Quæſtione eadem Nro 16. 17. 18.

§. VIII.

Vbi igitur ejusmodi incidit quæſtio, ante omnia in illorum ſtatum, qui pro dæmoniacis habentur a medicis prudentibus inquirendum, atque an dolo malo ſe dæmoniacos ſimulent, aut an morbus, qualisve adſit, ex ſymptomatum collatione dijudicandum, & in foro pronunciandum eſt, non deſunt enim exempla dæmoniacorum fictorum: ita in agro Linziano ſutoris uxor 41. annorum Anna Maria ab annis retro 18. eliapſis diabolo obſeſſa dicta fuit, Eccleſiaſticis viris pietate, doctrinaque conſpicuis id ſancte teſtantibus. Anno 1772. die 5. Iunii ex mandato Auguſtiſſimæ Imperatricis Linzio Viennam translata in Noſocomio Haenio commiſſo, methodo illi conſueta tractata a dæmone libera evaſit. Etenim ſe obſeſſam ſimulaſſe convicta & faſſa eſt. *kk*)

§. IX.

Ad aliquem olim pro vere dæmoniaco declarandum ſequentia deſideraverunt criteria: 1*mo* ut non ſolum per os, ſed & per aliam corporis partem voce articulata, & diſtincta ſermonem proferre poſſit. 2*do* Colloquia inſtituat lingua exotica, quam tamen nunquam didicerat. 3*tio* Cogitationes aliorum hominum manifeſtet. 4*to* Sciat ea, quæ alibi aguntur. 5*to* Horrendas, inſuetas

ac

---

kk) De Haen Method. Medendi Tom. XV. Cap. IV.

ac præternaturales convulſiones, contorſiones, corporis in ſublime projectiones, rotationes, convolutiones peragat. 6to In ſuis agitationibus, curſibusque a nemine citra ſummum vitæ diſcrimen ſiſti poſſit. 7mo Diras imprecetur Deo, Beatæ Virgini, Angelis, cunctisque Sanctis. 8vo Furore ſummo ad lectionem divinarum rerum, ad auditum Dei, Sanctorum, rerumque ſacrarum nomen, vel applicationem, ad exorciſmos &c. incendatur, oportet. Horum poſſibilitatem, ac diſtinctionem a malo dolo determinet, qui valet.

CAPUT VI.

DE VERBIS ET FACTIS IRRELIGIOSIS.

§. I.

Non ſolum delirio acuto, & chronico, ſed etiam majori melancholiæ, & mali hypochondriaci, aut hyſterici gradu laborantes, ſubinde verba ſtulta, ac irreligioſa effutiunt, factaque leges humanas, atque divinas impugnantia, & ſibi, aliisque noxia, niſi cohibeantur, committere valent.

§. II.

Sed cum in ſimiles rationis uſus non cadat, nec in his ſemper locum habeat, nec verba, nec facta ſapientia ab illis exſpectanda, nec inſulſe

dicta

dicta, ſtulteque facta iis imputanda, multo minus punienda ſunt: hic enim non pœnis corporis afflictivis, aut ultimo ſupplicio, ſed miſerorum cuſtodia ac curatione opus eſt.

§. III.

Non tamen penitus homines blasphemi nullo vel modico rationis uſu præditi (licet impoſſibile eſſe videatur, ut blasphemia cum ſana ratione combinari poſſit) a pœna liberantur, ſed in tantum, in quantum ætas, aut intellectus patitur, puniendi ſunt. Ebrietas & ira in hoc delicto neminem quidem excuſat, pro re nata tamen pœnæ mitigationem admittit. *ll)*

CAPVT VII

DE AVTOCHIRORVM SEPVLTVRA.

§. I.

In crimen *autochiriæ* incidunt, qui ſibi ipſis doloſe, id eſt ex profeſſo violentas manus injiciunt; pro autochiris itaque habendi non ſunt, qui ex inſania; ex vi morbi; melancholia; aut plane caſu improviſo; ſibi vitam adimunt, nec ignominioſa, aut minus ſolennis contra illos ſepultura decernenda eſt.

§. II.

ll) Conſt. Crim. Thereſ. Part. II. Art. 56. §. 11. fol. 165.

§. II.

A latronibus atque ſicariis interfectorum, & in autochirorum habitum poſitorum exempla non deſunt, hinc in dijudicanda autochiria circumſpecte agendum eſt.

§. III.

Si quis ſe ipſum necaverit, & mentis ſtatus dubius ſit, corporis mortui ſectione legali opus eſt, an forte in encephalo nil præternaturam, ac in reliquis partibus nulla melancholiæ, aut maniæ ſigna, ut: ſontica viſcerum obſtructio, & coaleſcentia, humores atrabiliarii, calculi biliarii, inveniantur videndum, & a medico referendum *mm*)

§. IV.

In dubio an quis ſine, vel cum dolo ſe occiderit, mortem ſine dolo accidiſſe præſuponendum eſt. *nn*)

§. V.

Vbi vero in autochiris nulla delirii ſigna apparuerunt, ſed vel homines perditiſſimis moribus præditi, aut malefici majus ſupplicium effugiendi ſcopo, ſe ipſos quacunque ratione necaverint, tunc utique pro autochiris habendi ſunt.

mm) Miſſiv 15. Septemb. 1752.
nn) Conſt. Crim. Thereſ. Part. II. Art. 93. §. 4.

§. VI.

Cumque judici in cadavera ſua etiam morte in reatu deceſſorum ſævire ſit permiſſum, multo etiam magis de crimine convicti, & confeſſi, manus impias ſibimet ipſis inferentes, erunt plectendi pro delicti varietate.

§. VII.

Cave tamen ne pro autochiris promiſcue habeas mortuos repertos omnes, vulneratos, laqueo ſuſpenſos, in aqua ſubmerſos, apoplexia, catarrho ſuffocativo, ſyncope, peſte, frigore, abſceſſus, vel vaſorum ruptura, vel morte quacunque alia ſubitanea interremptos.

§. VIII.

Circa vulneratos inquirendum an vulnera vivo, vel mortuo ſint inflicta; homo num vivus ſit vulneratus cognoſcitur: vulnera ſi in ambitu ſuo rubra, & cruenta fuerint, livida enim & ſicca apparentia poſt mortem fuiſſe inflicta indicium præbent.

*) Sed ut inter læſionem, & mortem longum tempus non intercedat neceſſe eſt: nam vulneris vivo inflicti labia, ſenſim & ſenſim etiam livida & ſica evadunt.

§. IX.

Num vero morbo quis autochiriæ ſuſpectus obierit, ex viſcerum principaliorum indagine eruendum ita v. g. apoplexia aliquem eſſe exſtinctum potiſſimum cerebrum ſignum præbet.

*) Reliqua autochiriæ vero, aut falſo ſuſpicatæ ſigna vide ſub capite de ſuffocatis, aqua ſubmerſis, fulmine tactis.

CAPVT VIII.

DE SACRA PERICVLOSE DECVMBENTIVM CVRA, ET SACRA SYNAXI IN DVBIO MENTIS STATV.

§. I.

Vt ægroti conſanguineos, curatores vel dominos, de morbi periculo in tempore modeſte admoneat, nec temerariis promiſſis inanem illorum ſpem alat medici officium eſt, ut ſcilicet tam reſpectu ſacrorum, quam fortunarum ſuarum ea procurare poſſint, quibus facto opus eſt.

§. II.

Si ægroti vel eorum conſanguinei &c. licet admoniti nimium tardi, incurii, atque ſalutis ſuæ negligentes, non confeſſi fuerint, medico id animadvertente ter tantum ægrum inviſere licet,

 alias

alias enim lege cæſarea illi per trimeſtre praxis omnimoda interdicitur.

§. III.

Sed ſacræ ſynaxeos privatio culpoſa aut damnoſa non eſt, imo nec eam exhibere convenit, ſi æger delirio acuto, vel chronico perdurante laboraverit, rectus enim ejus uſus, mentem ſanam religionisque plenam ſupponit.

§. IV.

Accidit quandoque in febribus acutis, male judicatis, ut brevi morituris mens aliquo tempore redeat, aut adſunt deliria periodica longiora intervala lucida habentia, his in caſibus ægrotus a ſacræ cœnæ uſu haud excludendus eſt, deliriorum autem intermiſſiones a medico optime dijudicari, atque adſtantibus intempore indicari poſſunt, & debent.

§. V.

In morbis, in quibus deglutitio impoſſibilis ut in quibusdam anginæ ſpeciebus, aut ubi omnia per ſuperiora, ut in vomitu, ileo, cholera, ejiciuntur, exhibitio Euchariſtiæ ne tentanda quidem eſt. Cæterum eam exceptis nunc dictis caſibus hora quacunque diei viatici ad inſtar exhibere convenit, ſecus, ſi æger in evidenti mortis periculo non ſit, nonniſi jejuno datur.

CA-

CAPVT IX.

DE VIRGINITATE ET STVPRO VIOLENTO.

§. I.

Virginitatis nomine ſtatum corporalem fœminæ, nec dum virum expertæ, intelligimus.

§. II

De virginitate læſa, aut integra, tam in foro eccleſiaſtico, quam in civili ſæpe conſurgit quæſtio, dum nempe 1*mo* perſona deflorata pro repudio aut obtinendo, aut declinando, virginitatem prætendit integram, 2*do* quando non vitiata, propter ſpem matrimonii, vel dotis, virginitatem ſimulat læſam. 3*tio* Quando ſtuprationis violentæ aliquem agere cupit reum.

§. III.

Signa quibus virginitas præſens dignoſcitur ſequentia habentur: 1*mum* eſt *hymen* ſeu ruga valvuloſa, perforata, ex cute, atque epidermide facta, in vaginæ oſtio, ab inferiore ac poſteriore ejus parte ad urethram usque extenſa, in recens natis ut plurimum circularis, in impuberibus rotunda, in maturioribus vero falcata eſſe ſolet, ſolique homini data eſt. 2*dum* eſt vaginæ rugoſitas, humiditas, & arctitudo, atque inde pendens

dolorifica viri admiſſio: quoniam fibræ hæ nunquam adhuc a mentula expanſionem paſſæ fuerunt. 3*tium* partium genitalium poſt primam coitus admiſſionem cruentatio, intumeſcentia, inflamatio, quæ tamen nonniſi paucis diebus durant, poſtea vero factæ deflorationis ſigna eſſe ceſſant. 4*tum* os uteri clauſum.

§. IV.

Hymenis ſola abſentia, vel præſentia eſſentiale, & infallibile virginitatis ſignum præbere non poteſt: quoniam vel in ipſis prægnantibus ſuperſtes ſæpe deprehenditur, laxior enim quandoque ab intruſione membri virilis non rumpitur, ſed dilatationem admittit; vel absque maris amplexu ex cauſis innumeris aliis, ob ſuam tenuitatem, mollitiem, ac laxitatem, ſaltu, greſſu repentino, equitatione, caſu, in adultioribus ſtatu morboſo; ut humorum acrimonia; irroratione menſtruorum continua, vel nimia, fluore albo, digitis, aut petulantia laſciva quacunque alia, facile deſtruitur.

§. V.

Vaginæ arctitudo etiam variare ſolet, 1*mo* ratione ætatis, 2*do* ratione temperamenti humidioris, ſiccioris, libidinoſioris 3*tio* ratione conformationis 4*to* ratione præcedentis fluxus menſtrui,

ſtrui, 5to ratione morborum v. g. fluoris albi cachexiæ, cacochimiæ, chloroſeos.

§. VI.

Hæc arctitudo ad maris cujusvis mentulam eadem ratione ſe non habet, mentularum enim craſſities, forma & longitudo differt, hinc 1mo arctitudo hæc non ſemper deſtruitur evidenter uno alterove congreſſu: partium quippe harum vincula non motu ſolvuntur impetuoſo, ſed placido, iterato, ſucceſſivo dilatationem admittunt. 2do Ad priſtinum poteſt redire tonum, fibris nempe per diuturnam a venere abſtinentiam reſtitutis; imo id natura non ferente verſutæ mulieres artis auxilio, remediis nempe adſtringentibus, facere norunt.

§. VII.

Partium genitalium cruentatio dolorifica in primo ſtatim congreſſu, a dilaceratione vaſorum *hymenis* provenit; hujus in ſacris litteris *Deuter.* Cap. XXII mentio fit; ſed nec hoc ſignum univerſale eſt: quoniam non in omnibus fœminis obſervatur, 1mo non in illis, quarum genitalia laxa exiſtunt, 2do in iis, quæ caſu &c. hymenis rupturam paſſæ ſunt. 3tio etſi hæc cruentatio in coitu obſervetur, tamen ſignum infallibile non ſuppeditat; dantur enim fœminæ, quæ non in primo tantum, ſed ſecundo, tertio, imo ſexto

coitu ſanguinem profundunt, nempe natura arcte nimis ſe contrahente, aut imminente fluxu menſtruo nuptias celebrant, ut taceam, quæ fraudibus effuſionem ſanguinis ſimulant; hinc reſpectus habendus eſt membri virilis ad amplitudinem vaginæ.

§. VIII.

Itaque ex ſignis hisce collective etiam omnibus ſumptis fœminam illibatam, vel violatam, probabiliter tantum renuntiandum eſſe luculenter apparet.

§. IX.

Alia virginitatis ſigna, quæ ex colli dimenſione, vocis mutatione, apice & pinnis naſi, mammis, earumque papillis, oculis, carunculis myrtiformibus, urina, pilis pudendorum, pulvere gagathis aſſumpto, ſeminis portulacæ vel lapathi ſuffitu deſumuntur, tanquam anilia merito prætermittenda duxi.

§. X.

Tenerioris ætatis corpora, a quacunque vi illata citius patiuntur mutationem, hinc læſæ virginitatis ſigna in tenui puella violata certius relinquuntur, quam in provectiori ætate conſtitutis.

*) Quod congreſſum fœcundum major excipiat corporis mutatio, quam ſterilem, notiſſimum plane eſt, quam vide Capite de graviditate.

§. XI.

§. XI.

Stuprum violentum ex debilitate accuſantis, atque robore accuſati inter ſe probe comparatis, an locum habere potuerit, nec ne inveſtigandum eſt: fœminæ enim debili a viro robuſto vis inferri poteſt, at a viro debili, imo etiam æque forti, fœminam valentem contra ſui voluntatem ſine adjutoribus comprimi poſſe, probabile non eſt: fœminæ enim penis immiſſionem multis modis impedire, quam viro invitæ intrudere, facilius eſt.

§. XII.

Poſſit ne vir coire cum fœmina dormiente, quin illa evigilet, quæſtio eſt, cui plerique negative reſpondent; interim tamen ex ſomno profundo vel naturali, vel a laſſitudine, aut etiam ebrietate, imo (uti recentiſſima in Galliis docent facinora) a narcoticis datis, nec minus ex affectu ſoporoſo, per quemcunque morbum inducto, tam difficilis ſæpe eſt expergefactio, ut arduum non ſit, in affirmativam abire ſententiam.

§. XIII.

Signa ſtupri violenti cum virginitatis læſæ ſignis coincidunt, niſi quod quandoque excoriatio, inflamatio, dilaceratio, aut alia partium genitalium læſio crurum ſubin etiam diſtractio præcipue in impuberibus appareat, quæ omnia eo vehementiora ſunt, quo major ſtatura fuerit mas reſpe-

ctu fœminæ, aut ſi ea a pluribus conſtuprata fuerit; ſed etiam plurima ex his longiori intercedente temporis ſpatio diſparent.

*) Non deſunt etiam exempla, quæ a ſtupro violento mortem ipſam ſecutam eſſe docent.

§. XIV.

In fœminis viri congreſſum jam ſæpius paſſis, nulla dantur ſtupri violenti ſigna certa.

*) In inſpectione tali ab artis peritis inſtituenda, muliebria quoad ſingulas partes in loco lucido oculis luſtrentur, & interiorum ſtatus modeſta digitorum applicatione inveſtigetur.

§. XV.

Abominabilis *Pæderaſtiæ* perpetratæ ſigna conjecturalia tantum (cum & ab aliis cauſis proficiſci poſſint (intertrigo, excoriatio; inflamatio; fiſſuræ; excreſcentiæ in illis locis, ſphincteris laxitas; & inteſtini recti prolapſus ſunt.

CAPVT X.

DE PHILTRIS ET PRAEGNANTIBVS.

§. I.

Remedia amorem determinatum erga perſonam quandam excitantia, *philtrorum* nomine

ne vulgo inſigniuntur, alias *poculum amatorium* dicta.

§. II.

Venuſtas, juventus, familiaritas, virtus, atque officioſa urbanitas in utroque ſexu amoris conciliatrices ſunt; & amorem amore conciliari cæteris paribus veriſſimum eſt; an non divitiarum obtinendarum ſpes his adſcribenda?

§. III.

A diæta lauta, vino generoſo atque otio venerem excitari, & ſine his illam frigere, jam veteribus notum erat.

§. IV.

Nec deſunt varia in materia medica *aphrodiſiaca* dicta remedia, quæ humorum motus verſus partes genitales adaugendo, ſecretionem ſeminis promovendo, vel etiam alio modo ſtimulum inducendo, venerem, ſed non erga perſonam quandam determinatum amorem, excitare apta ſunt.

§. V.

A Pharmacis noxiis v. g. cantharidibus, aliisque nocivis, philtrorum loco maleferiatos homines abuſos fuiſſe exempla non deſunt, interim tamen hæc ſanitatem graviter turbant, & loco amoris in hoc vel illud individuum dirigendi,

ſumme

ſumme dolorificum, & non ſuperabilem æſtrum, imo plane mortem, producere apta ſunt, hinc quid de illis judicandum ſit, patet.

*) Magnam olim fidem ſuperſtitioſe philtris habitam fuiſſe, quæ nunc ſanior philoſophia merito ridet, ſcimus.

§. VI.

Melancholicorum, atque maniacorum, ſeſe philtris intoxicatos eſſe contendentium, opiniones, atque aſſerta, nil niſi corruptæ phantaſiæ ludibria ſunt: ex vehementi enim amore, imprimis fruſtrato, ut ex alio animi affectu morbos & amentiam oriri poſſe, nil novi eſt.

§. VII.

Impragnatio, ſive fœtus in utero exiſtentia, ſine maris ac fœminæ congreſſu fieri nequit; hinc hiſtoriolas de ingravidatione indiſtans facta, item per ſemen virile aquæ innatans, ſicque in balneo forte muliebria intrans, aliasque ejus generis, quivis facile ad fabulas relegabit.

CAPVT XI.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

§. I.

Impedimenta matrimonii alia *impedientia*, alia *dirimentia* ſunt, quorum illa pactum matrimo-

nii

nii adire non admittunt, hæc vero jam contracti vinculum ſolvunt. Intima tamen horum, quæ ad medicum ſpectant, natura eadem eſt.

§. II.

Cum obligatio naturæ, ac conjugii finis primarius propagatio ſpeciei humanæ ſit, hinc matrimonium diſolvitur, ſeu a judice irritum declaratur ob cauſas, quarum ſingulæ impedimentum conſumationis matrimonii reſpiciunt; ad conſumationem autem ſufficit, ut unica vice vir mulieri per membra generationis debite jungatur, ſemenque in locum a natura deſtinatum immittat, quo facto matrimonium dicitur conſumatum, nec amplius diſſolvi poteſt, etiamſi impedimentum quoddam ſupervenerit coitum impoſterum impediens, ſed tum ſolum ſeparatio a thoro & cohabitatione locum habere poteſt.

§. III.

Matrimonii conſumatio actum reſpicit, ex quo generatio ſperari poſſit; itaque non ſufficit ad matrimonii conſumationem emiſſio ſeminis prope muliebria, absque immiſſione membri virilis in vaginam facta, ſed copula requiritur legi naturæ conſentanea, ejectioque veri ſeminis prope os uteri: hoc modo enim tantum generatio ſperanda eſt, & ita vir & mulier efficiuntur caro una juxta illud Geneſis Cap. II. v. 24.

§. IV.

§. IV.

Cauſæ matrimonii conſumationem manifeſte impedientes, ad impotentiam *coeundi* vel *generandi* vel *utriusque ſimul* reducuntur, quarum illæ, quæ perpetuæ, evidentes, & absque remedio ſunt, ſine mora matrimonium diſolvunt, in aliis applicandis auxiliis tempus quoddam concedi ſolet, quo ellapſo impedimentoque non amovibili, diſſolutio primo de lege fit.

§. V.

Tam coeundi, quam generandi impotentia alia *abſoluta*, alia *reſpectiva* tantum eſt, quatenus alter conjugum reſpectu alterius potens ad coitum & generationem non eſt, ſed reſpectu aliarum perſonarum ad utrumque aptiſſimus exiſtit; uti: ſi viro exiſtente bene mentulato mulier anguſtiorem vulvam habeat reſpectu hujus, non vero reſpectu alterius membri virilis, craſſitiem minorem habentis.

§. IV.

Vitia illa impedimentum matrimonio ponunt, ejusque vinculum ſolvunt, quæ emendari non poſſunt; ſi impedimentum ſolvi quidem poſſit, ſed nonniſi cum vitæ periculo, tantundem eſt, ac ſi incurabile eſſet, nec tenetur conjux habens ejusmodi impedimentum, tali curæ ſe ſubjicere.

§. VII.

Vitia inſanabilia, aut ſcopo matrimonii contraria, ante initum conjugium præſentia, & alteri contrahentium parti, ante innitam obligationem pactitiam cognita, fini primario matrimonii contrariantur quidem, attamen matrimonium non ſolvunt, quia ex Iuris Conſultorum placito, damnum quod quis propria ſua culpa ſentit, non ſentire videtur; ita & morbi tam mentis, quam corporis, durante matrimonio contracti illud non ſolvunt.

§. VIII.

Tam coeundi, quam generandi impotentia plures poteſt habere cauſas, modo ex parte viri tantum, modo ex parte mulieris tantum, modo ex parte, utriusque dependentes.

§. IX.

Organorum genitalium utriusque ſexus decens conſtitutio, atque ætas legitima, ſtatum iſtum hominis, quo conubium ſubeundi, ac generandi idoneus æſtimatur, determinat; ætas hæc pubertatem comprehendit, quæ ex jure canonico anno decimo quarto habetur, coeundi potentia viro anno duodecimo completo tribuitur; ſi etiam hac ætate conſtituti ſemen non ejacularent, ad matrimonium ineundum tamen apti cenſentur,

dum-

dummodo ſucceſſu temporis ex coitus uſu ſeminis ejaculatio, & generatio ſperari valeat; ſed ſi tempore pubertati deſtinato elapſo vir impotens perſiſtat, cauſa inquirenda, & ſecundum hanc procedendum eſt.

*) Quidam Iuris Conſulti ante duodecimum annum contractum matrimonium aſſerunt, non ſuſtineri ut matrimonium, ſed uti ſponſalia: quoniam matrimonium conſumari non poteſt, niſi maſculus ſeminet, & puella conceptioni apta ſit.

*) Anno duodecimo completo maſculi pubertati proximi habentur quamvis & eo, & decimo jam anno puberes fuiſſe, & filios procreaſſe exempla non deſint; huc ea, quæ alias de pubertate attuli, revocari merentur.

§. X.

Si fæmina in tenera ætate, citra annum duodecimum, conſtituta, habitus exilioris ſit, muliebriaque habeat adeo anguſta, & exilia (nulla autem præternaturalis arctatio, aut clauſura, aut improportionata penis magnitudo, aut craſſities, impotentiam reſpectivam inducens, adſit) ut ob dolorem, quem in copula pati deberet, virum admittere nullatenus poſſet, diſſolutio matrimonii locum non habet, id enim impedimentum ſucceſſu temporis, incremento corporis acquiſito, ſponte evaneſcit.

§. XI.

§. XI.

Vti in aliis citius, in aliis ſerius potentia coeundi advenit, ita etiam in aliis citius, in aliis ſerius deſinit, comuniter viri 70mo anno impotentes cenſentur, etſi non omnes eo tempore impotentes ſint; dantur enim, qui aliquoties adhuc ſaltem coire valent, ſi vero omnino impotentes ſint coeundo, & matrimonium contraxerint, ſolutio matrimonii, muliere poſtulante, juſtum invenit locum (niſi mulier impotentiam manifeſte prævidere potuerit) nulla enim ſpes ſupereſt potentiam coeundi illis redire, aut eorum frigiditati remediis ſubveniri poſſe.

§. XII.

Fœminæ ad annum quinquageſimum appropinquantes, evanidis menſtruis vulgo ad concipiendum aptæ amplius non ſunt, hinc a conjugio tam tarde ineundo, ex rationibus phyſicis arcendæ eſſent, niſi ſenum matrimonia ſæpius ob mutuum rei domeſticæ, vitæque ſubſidium, qui alter matrimonii finis eſt *oo*) contraherentur, hæc de ætate.

§. XIII.

Impotentia coeundi in viris fit, ſi virga virilis in integrum, vel pro maxima parte deficiat,

F du-

---

oo) Geneſ. v. 18. & 20.

duplicata, triplicata, male conformata, ſpaſmo contracta, ſcyrrhoſa, cartilaginea, oſſea, paralytica, in abdomen retracta, in loco inſolito ſita, in loco inconvenienti perforata, juſto brevior, tenuior, longior, craſſior fuerit, frigiditas, vel morbi adſint.

§. XIV.

Penis in integrum, vel pro maxima parte defectum impotentiam coeundi cauſare & hinc vinculum matrimonii diſſolvere, nulli dubio ſubjacet, ſed nec exempla deſunt duplicati, aut triplicati hujus membri, quin ſimultanea horum erectio contingere potuerit. Malum hoc curationem difficulter admittit, quæ eſſet unius membri detruncatio periculi pleniſſima: penis enim abſciſſioni ſubitaneam mortem ſuperveniſſe Guilielm. Faber teſtatur. *pp*)

§. XV.

Membri tortuoſitas quædam ob frenum nimis tenſum glandi adhærens fit, dum nempe glandem ipſam deorſum trahit, ita ut membrum virile curvum reddat, & ob id ad copulam magna ex parte ineptum, hos *hypoſpadiæos* appellant: quia ſemen non ad os uteri, ſed ad latera vaginæ emittunt, hinc ad generationem inepti ſunt, niſi

---

pp) Obſerv. ſuarum. Cent. 3. Obſerv. 84.

niſi vinculum laxetur, aut plane ob nimiam tortuoſitatem muliebria intrare non valent.

*) Huc etiam ſpectare poſſet nimia penis obliquitas, quando ad latus unum alterumve inflectitur, paralyſi, aut convulſione alterutrius muſculi facta, videndum an medellam admittat.

§. XVI.

Contractio penis ob ſpaſmum muſculorum facta, copulam non admittens, ſæpe curam admittit, ſæpe, ſi inveterata ſit nullam; eundem cenſum meretur impotentia ob penis reſolutionem, ejus nempe muſculorum paralyſim; hæc in ſenibus rariſſime curabilis eſt, plane ſi apoplexiam exceperit.

*) Datur & caſus, ubi vir coire quidem poteſt, ſed ob ſpaſmum urethræ, ſub coitu præſentem, ejaculatio ſeminis inpoſſibilis eſt. *qq*)

§. XVII.

Virgæ ſcyrrhoſæ, cartilagineæ, oſſeæ, in abdomen retractæ, in loco inſolito ſitæ, rariora exempla ſunt, attamen plus aut minus pro diverſo gradu, coitum impedire valens.

§. XVIII.

Aliquando penis apertura in loco inconvenienti fit, ita ut ſemen nequaquam recta ad ute-

qq) Vide de Sauvages Diſpermatiſmum ſpaſmodicum.

rum via ferri, hinc coitus fœcundus fieri non poſſit, conſequenter nec matrimonium conſumari, quod eo minus fieri poſſibile eſt, quo magis apertura a glande diſtat, malum hoc pro diverſitate varia jam curabile, jam incurabile eſt.

§. XIX.

Non deſunt authores, qui longitudinem penis nimiam coitum dolorificum, impoſſibilem, animi deliquia, aliaque mala ſymptomata attuliſſe teſtentur: etenim ob validum in os uteri impactum, metum inflamationis, gangrænæ poſt ſe trahit, omnem jucunditatem mulieri adimit, unde etiam conceptio omnino impeditur; inde in uteri prolapſum, fluorem album incidiſſe mulieres teſtatur Ioan. Hucher *rr*) hinc ob vitæ periculum imminens divortium fieri poſſe ſtatuunt, mala hæc multo ſpectabiliora eſſe, ſi vagina uteri ſimul juſto brevior ſit, aſſerunt, attamen in utroque caſu remedium in viri voluntate poſitum eſt, ſi caute & ſuaviter agere velit, ita ut membri longitudo culpari non poſſit.

§. XX.

Penis brevitas niſi cum tenuitate juncta, non adeo frequenter accuſatur, craſſities enim ſtantibus ſimul viribus, mulieri longitudinem ſupplere videtur, & nullum ponit impedimentum, dummodo

---

rr) Libro I. de ſterilitate Capit. de magnitudine Penis.

modo ſemen emmitatur, & recta ad uterum via ferri poſſit, ita non obſtante virgæ brevitate ſubſequi poteſt generatio: in vegeta enim muliere uteri oſtium obviam membro virili obvolvitur, ut ita ſemen ab utero recipiatur. Attamen hæc brevitas nimia eſſe non debet, imo brevitas cum tenuitate tali, ut coitus fieri non poſſit, matrimonium anihilat.

§. XXI.

Si penis craſſities nimia coitum non admiſerit, aut eum muliebria anguſtiora impediverint, tentanda eſt genitalium muliebrium dilatatio per emolientia, intruſionem peſſarii volumine ſucceſſive augendi.

§. XXII.

Licet membri tenuitas tanta etiam eſſe poſſit, quæ fœminæ voluptatem inter coeundum non producat, hæc tamen impedimento non erit; aliud vero ſtatuendum ſi tenuitati juncta ſit imbecillitas, quod fere ſolet.

§. XXIII.

Poterit tamen etiam organis genitalibus quoad externa optime conformatis, maribus in ætate habili ad venerem exercendam coſtitutis, impotentia ex defectu erectionis penis adeſſe, ex eo: quod corpora cavernoſa non tendantur; glans ſub tetigine flaccida maneat; ſenſu nullo, aut

parvo prædita ſit; tales viri *frigidi* aut *effæminati* dicuntur, & vel ſemen flaccido etiam membro exiſtente prope oſtium uteri externum emittunt, vel nullo modo ſeminant,

Nonnullos ex frigidis eſſe, qui venerem utcunque exerceant, ſed ſemen effundere non poſſint, aſſerit Paulus Zacchias. *ss*)

§. XXIV.

Signa frigiditatis Paulus Zachias (*tt*) hæc ſunt; inquit, paucitas pilorum aut omnimoda carentia in mento, & pube (patet quod de Europæis loquatur) membri optime conformati flacciditas, ejus erectio ad omnem ſtimulum impoſſibilis, aut ea minimo tempore tantum perdurans, confeſtim elangueſcens, teſtium nimia parvitas.

§. XXV.

Frigiditas alia a natura, alia a morbo, alia a cauſa accidentali diverſa fit, ut Scythis ob aſſiduam equitationem evenire tradit Hypocrates. (*uu*) igitur viri impotentia cognita, cauſæ frigiditatis inveſtigandæ, & ſi, ut ſæpe accidit, non niſi temporaneæ ſint, idoneis auxiliis tolendæ.

§. XXVI.

ss) Quæſtion. Medico-Legal. Tom. I. fol. 273.
tt) Libro eodem.
uu) Libr. de Aer. Aqu. & Loc.

§. XXVI.

Frigiditas temporaria ſponte vel arte ſanabilis eſt, v. g. quæ a morbo gravi, magna hæmorrhagia, aut evacuatione alia protracta, nimio concubitu, & inprimis onania, inedia, labore nimio, nimiis curis, ſtudiorum intemperantia oritur. Ita & verecundia, diſcordia, moroſitas, contemptus, ira, triſtitia, corporis immundities, ac fœtor venerem pro tempore refringunt, unde etiam ex non facta, ante inquirentes medicos erectione penis, difficulter eſt ad impotentiam concludere. Procurata corporis ſanitas, mentis otium, corporis quies, diæta lauta, moderatus vini generoſi potus, remediorum roborantium extrinſecus, atque intrinſecus aliquamdiu continuatus uſus, licita cum juvencula pulchra converſatio, conjugis hilaritas, blandities, formoſitas, veraque amoris teſtimonia, ad frigidos excitandos, calefaciendosque præſtantiſſima ſunt remedia.

§. XVII.

In frigiditate comuniter ſolet triennium applicandis remediis concedi, a plena pubertate, nempe in viris ab anno decimo ſexto, in fœminis ab anno decimo quarto, aut a tempore contracti matrimonii (ſi illud completa pubertate contractum ſit) numerando.

§. XXVIII.

Quid de maleficiatis, ſeu illis, qui per incantationem impotentes facti fuerint, cenſendum ſit, ex capite de *Magis* & *Dæmoniacis* concludere licet.

§. XXIX.

Quæ de medicamentis impotentiam inferentibus ut de Ruta, Thymo, Lactuca, Camphora juxta tritum illud:

Camphora per nares caſtrat odore mares.

Apud authores leguntur, vana ſunt: experientia enim his non reſpondet.

§. XXX.

Non omnes morbos hominem ad generationem ineptum reddere experientia docet: etenim in febre inflamatoria, pthyſi, hectica &c. imo hominem jam morti proximum progeneraſſe exempla non deſunt, ſed omnis morbus inſanabilis, coitum impediens, matrimonii vinculum ſolvit, ſi non matrimonio conſumato contractus fuerit, hujus claſſis ſunt: magna paralyſis, morbi contagioſi, qui vel vitæ inſidiantur, vel ſaltem ſanitati graviter obeſſe, quomodocunque poſſunt, ut lues venerea, lepra, rabies canina; & cæteri tædium moventes v. g. ozena, ac morbi rationem adimentes.

§. XXXI.

§. XXXI.

Alia impotentia præterea fieri poſſet ex obeſitate ventris nimia, præprimis ſi id utrique, mari & fœminæ, comune ſit, & copula carnalis ſuccedere, per conſequens matrimonium conſumari non valeat; difficillima quidem, ſed non impoſſibilis eſt per artem medicam talis vitii emendatio, impedimento tamen non erit hæc obeſitas, in utroque licet præſens, dummodo ratione quacunque coitus fieri poſſit.

*) Iudæus, ſi ob infirmitatem vel debilitatem corporis debitum conjugale reddere nequeat, fœminæ ſex menſibus exſpectandum eſt, quibus expletis debitoque conjugali non præſtito, uxori libellum repudii cum bonis conjugalibus eorumque proventibus dare tenetur, niſi medici morbum curabilem eſſe declaraverint, eo in caſu exitus curationis ab uxore exſpectandus eſt.

§. XXXII.

Ad impedimenta generationis, præter impedimenta coitus referenda ſunt, defectus teſtium, eorumque ſcyrrhoſitas, contuſio, vel alia læſio, omnem ſeminis ſecretionem & excretionem impediens, uti non raro a morbo venereo ſit; arctatio urethræ, ſeminis ejaculationem impediens.

*) Huc etiam forte referri poſſet ſemen qualitate peccans.

§. XXXIII.

Eunuchi ſunt vel *natura* tales, qui ſine teſtibus naſcuntur, & poſtea creſcentibus annis in eodem ſtatu permanent; vel *caſu* ut dum ſphacello, ſuppuratione, contuſione &c. teſtes deſtruuntur; vel *arte* dum eorum teſticuli omnino exſcinduntur, idque vel *conſilio* medico, ſanitatis ac vitæ conſervandæ cauſa, uti in eorum ſcyrrho venereo &c. vel *lucri* iniqui cauſa fit, ultimi vulgo *caſtrati* dicuntur. Cum igitur Eunuchis deficiat organon ſemen præparans, eos conjugio, matrimonio nempe conſumando ineptos eſſe, quisque videt, & ideo eorum connubia illegitima habentur, & jure Pontificio prorſus ſunt damnata *vv)* coire enim & non generare eunuchi poſſunt, etſi in coitu liquorem quendam ſtillare dicantur, ille *Proſtotarum* eſſet.

§. XXXIV.

Sola ſcroti vacuitas impotentiæ conjugalis minime arguit, nam κρυψορχιδες ſeu teſticondi (quorum teſticuli in inquine, aut in abdomine hærent abſconditi) non ſolum ad coitum, & ad generationem apti ſunt, ſed etiam in caſtris venereis ſeſe ſtrenuos bellatores exhibere poſſunt. Ita & μονορχιδες, ſeu uno tantum teſticulo præditi, ad generandum inepti non ſunt.

§. XXXV.

vv) conſiſtit Sixti V. de An. 1587.

§. XXXV.

Quæſtione mota an quis Eunuchus vel teſticondus ſit, videndum an nulla teſticulorum exſectorum appareant veſtigia, v. g. cicatrix; nullo veſtigio præſente, teſticondus eſſe potius præſumatur.

§. XXXVI.

Generandi potentia ex hernia etiam adimi valet, vel tendendo nimis vaſa ſeminalia, vel comprimendo, ita quidem, ut inde plane coaleſcere poſſint, quod ex harum partium duritie, & ſeminis defectu cognoſcitur.

§. XXXVII.

Quod morbos magnos, inſanabiles, contagioſos, tædium moventes concernit, eadem ponunt in ſexu ſequiori impedimenta matrimonii, quæ poſuerunt in nobiliori, prout vero diverſi morbi genitalia maſculina ſolummodo reſpicientes impedimento eſſe potuerunt, ita etiam morbi genitalia fœminina reſpicientes impedimento eſſe poſſunt; coitus enim, & poſſibilitas procreandi prolem ex parte ſexus muliebris impediri poteſt, vel ex mala partium genitalium conformatione, vel ex harum partium morbo; hæc autem ſequentia eſſe poſſunt:

Vteri Prolapſus hicque vel *completus* vel *incompletus*, *directus*, vel *inverſus*, coitum plane impe-

impediens, cujus repoſitio impoſſibilis eſſet; uti & *Prolapſus vaginæ*, *Hernia*, *pudendorum ulcera* inſanabilia, ſordida, fœtida, cancroſa, coitum ſi non impoſibilem, ſaltem ſumme periculoſum reddentia, *fluor albus* inſanabilis viro tale tædium movens, ex quo matrimonium non conſumetur.

Vteri defectus licet ſtrictiſſime coitum non impediat, quoniam tamen tum poſſibilitas generandi abſolute nulla eſt, hinc inter primaria matrimonii impedimenta recenſeri debet.

Vaginæ anguſtia, quæ omnino non, vel ſaltem non ſine vitæ periculo, præprimis muliere in ætate provecta conſtituta, emendari poſſit, matrimonium ſolvit, juxta Decret. Gregor. *(xx)* Vulvæ orificii adeo anguſti, ut digiti minimi apicem vix admitteret exemplum habet columba (*yy*)

*) Interdum vaginæ arctitudo non niſi relativa eſt, ita v. g. membrum virile nimis craſſum non poteſt intrare in virginis antrum, naturaliter etiam conſtitutum, & contra illud debile, minuſque robuſtum vincula virginalia ſolvere non poteſt, hinc in caſu ſimili uterque ſexus inſpiciendus eſt. Vide quæ Parte III Capit. IX §*pho* 5 & 6 dicta ſunt.

Va-

xx) Libr. IV. tit. XV. c. VI.
yy) Anatom. L. 15

Vaginæ concretio vel ſimpliciter, vel intermedia excreſcentia carnoſa facta (ſive demum hæc concretio vel natura, vel caſu, id eſt morbo aliquo acquiſito v. g. ulcere, aut inflamatione facta fuerit) ut via arte, niſi cum gravi vitæ periculo e. g. ob magnam ex inciſione hæmorrhagiam, acerbos dolores, ſpaſmos, convulſiones, inflamationem, ſphacellum timenda, aperiri nequeat, matrimonium dirrimit. Ipſa tamen imperforatio, & hymenis firmitas viri congreſſum excludens matrimonium non ſolvit, ſi vitium ſectione facile corrigi poſſit; excipe tamen ſi ſe mulier operationi ſubjicere nollet.

Clitoridis nimia elongatio vel *præternaturalis increſcentia*, atque induratio, metuo ne impedimentum pulpitrale ſit; cum coitum non omni ratione impedire poſſit uti docet Carolus Muſitanus Libr. de Mulier. morbis cap. de ſterilitate.

Sterilitas (quæ adeſſe dicitur, dum fæmina mari juncta non concipit atque generat) impedimento, ſi judæos exceperis, non eſt: quoniam ſterilitatis cauſæ vel *curabiles* ſunt, vel *reſpectivæ* tantum, vel in partibus interioribus *abſconditæ*, uti; internum uteri os clauſum; tubæ falopianæ imperviæ; ruptæ; deficientes; cum ovariis concretæ; aut ipſa ovaria ſcirrhoſa; nulla;

la; uterus contortus; ſcirrhoſus; cartilagineus; lapideus; & (quod rariſſimum eſt) deficiens; de quo tamen ſi conſtat, vide paulo ante allata.

§. XXXVIII.

Poſt valide contractum matrimonium, & conſumatum, alia nonnulla aliquando ſuperveniunt, ex quorum præſentia ſegregari conjuges a thoro, & cohabitatione aut perpetuo, aut ad tempus (prout cauſæ adſint) contingit, quod divortium improprie ſic dictum jure eccleſiaſtico appellatur ad diſtinctionem præcedentis, quod non conſumato matrimonio fit, & proprie divortium audit.

§. XXXIX.

Omnia ea, quæ matrimonium conſumari non permittunt, ſi conſummato ſupervenerint, poſſunt dare divortio cauſam, quo in paſſu morbus contagioſus primas tenet, eo recedente divortium amplius nullum eſt, conjugibus ad matrimonium de integro redeuntibus.

§. XL.

Infectionis majus minusve periculum ſuppeditat morbi natura, gravitas, diuturnitas, ex quibus etiam tempus, quo morbo profligato, ſine infectionis periculo coire liceat, determinandum eſt,

§. XLI.

Thori ſeparatio easdem, minores tamen, quam divortium improprie dictum agnoſcit cauſas; ita v. g. in morbis rationem lædentibus graviſſima cauſa eſt furor, minus vero gravis ſimplex dimentia, & ſic furor erit juſtiſſima cauſa divortii, ad quod non ſufficit dementia ſimplex, quæ tamen ſufficiet ad ſeparandum thorum: nam ex furioſo conjuge poterit ſanus, ſi ſimul cohabitare cogantur, periculum incurrere, non ſic autem in ſimplici dementia.

*) Idem ad morbos contagioſos transferri poteſt, ſi ex cohabitatione periculum infectionis, vel ex copula tantum emergit, ibi divortium fiet, hic thori ſeparatio.

§. XLII.

Nec ſponſalia contracta ſemper valida ſunt: etenim illa inire non poſſunt furioſi, mente capti, aliique rationis uſu deſtituti, neque infantes, neque rata ſunt eorum ſponſalia, qui ob quodcunque impedimentum perpetuum nuptias contrahere nequeunt.

§. XLIII.

Inita jam ſponſalia præter cauſas ad forum medicum non ſpectantes, ſolvuntur, ſi quoddam impedimentum matrimonii non amovibile; notabilis

tabilis fœditas; morbus contagioſus; oris fœtor; ſunctionum quorundam abolitio inſanabilis ſupervenerint.

*) Fœditas defectum naſi, labiorum, tineam, gutam roſaceam, tumores, aliasque excreſcentias, cicatrices validas, faciem collum, & vicinas partes obſidentes, comprehendit.

*) Functionum abolitio viſus imminutionem, depravationem, cœcitatem perfectam, ſurditatem, paralyſim, epilepſiam, &c. comprehendit.

PARS IV.

IVRISPRVDENTIA MEDICO-CRIMINALIS.

CAPVT I.

DE IVRISPRVDENTIA MEDICO-CRIMINALI IN GENERE.

§. I.

In nulla medicinæ legalis parte tam multæ, tamque frequentes, ex principiis phyſico medicis dijudicandæ occurrunt quæſtiones, ac in jurisprudentia medico criminali dicta: jam enim ubi de vulne-

vulnerum lethalitate: veneficiis: infanticidio: ſuffocatis: ſubmerſis: ſtrangulatis: fulmine tactis: potulentorum nociva adulteratione: pœnis corporum afflictivis: ultimo ſupplicio agitur, ad juſtitiæ cautam adminiſtrationem judicium medici non expetitur ſolum, ſed & ſumme neceſſarium eſt, ita ut hoc neglecto ſententia a judice lata omnino nulla ſit.

§. II.

Quam circumſpecte autem medicus, in judicio ſupra caſus dictos ferendo, agere debeat, ipſa rei natura abunde docet, itaque ut nullus in re tanti momenti committatur error, ſingula, quantum vires ferunt, ordine recenſebuntur; generaliter tamen eo candore agendum in his tam gravibus negotiis, ut cum manca ſubinde & inſufficientia offerruntur acta, nunquam ad ingenium, judiciumque oſtentandum ea quaſi ſupplere quisquam audeat, ac quod veroſimiliter ac limitate aſſerendum erat, pro certo indubitatoque id præſumat venditare. zz)

zz) Camerarius Cautel. med. capite de Med. forenſi pag. 557.

CAPUT IX.

DE VULNERUM LETHALITATE.

§. I.

Innumeras vitæ humanæ ſtrui inſidias dudum ſapientiſſimus agnovit Seneca *A*) ut admiratione dignum ſit, vitam tam longo temporis intervallo protrahi poſſe; Itaque de communiſſima vitæ inſidiatrice, *vulnerum* ſcilicet *lethalitate* primum, dein de reliquis agere conſtitui.

§. II

Vulnus proprie dicitur ſolutio continui recens, cruenta in parte molli, inſtrumento duro, moto, preſſo, vel reſiſtente, uti gladio cultro &c. facta. In medicina vero legali, omnem læſionem, cum violentia factam, continuitatem partium ſolventem, ſive illa *contuſio*, *punctura*, *ſectio*, *fractura*, *diſtorſio*, *luxatiove* ſit, ſub ſe comprehendit.

§. III.

Comuniſſimme, præter alias diviſiones, vulnera in *ſimplicia*, & *complicata* v. g. cum contuſione vel veneno conjuncta; in *lethalia*, & *non lethalia*, quorum hæc in *levia*, *periculoſa*, *perfecte*,

A) Libr. III. Contr. XVI.

cte, & *imperfecte ſanabilia*; illa vero in *abſolute*, *per ſe*, & *per accidens lethalia* dividuntur.

§. IV.

Vulnus leve eſt, quod poſt paucum ſanguinis profluvium per ſe, vel facile artis auxilio conſolidari poteſt.

§. V.

Vulnus periculoſum dicitur, quod læſum in vitæ periculum dejicit, uti ſunt 1*mo* vulnera nec abſolute, nec per ſe lethalia, ſed ſecundum trinam dimenſionem (in longum, latum, & profundum puta) magna, 2*do* anguſta vulnera profunda tamen, præcipue ſi dilatari non poſſint 3*tio* cum contuſione, & dilaceratione conjuncta, 4*to* ſclopetaria, quæ non tantum contundunt, ſed & dilacerant partes, hinc citam poſt ſe trahere ſolent gangrænam 5*to* cum deperditione ſubſtantiæ conjuncta, 6*to* quibus medicamenta immediate applicari non poſſunt, 7*mo* quæ infanti, aut puero tenerioris texturæ, aut gravidæ infliguntur, quod etiam de ſene: ob ſpirituum defectum, nervorum debilitatem, ſanguinem craſſiorem valet; tum enim inflammatio, convulſio, gangræna, & mors ſequi poteſt, niſi ſumma in methodo medendi adhibita fuerit cautela.

§. VI.

Vulnera ſanabilia perfecte appellantur, quæ plenariam curationem admittunt, ita ut nulla functionum læſio ſuperſtes ſit; ubi vero ſubſiſtente vita functiones quædam a cauſa lædente, non obſtante auxiliorum appropriatorum applicatione, imminutæ, depravatæ, vel ſublatæ manent, *vulnus imperfecte ſanabile* dicitur.

§. VII.

Vulnus lethale eſt, quod vitæ interritum ſecumfert, ut ipſa vocis natura docet.

§. VIII.

Vulnera abſolute lethalia ſunt quæ mortem effectu ſuo inſeparabili ſerius, citius, optima etiam adhibita medella inferrunt. Ad vulnera abſolute lethalia pertinent:

1) *Quæ impediunt liquidi nervei in partes vitales influxum* uti ſunt: profundæ cerebri, cerebelli, medullæ oblongatæ, & ſpinalis, præcipue in vertebris colli, nervi octavi paris, intercoſtalis magni, cordialium, diaphragmaticorum plexuum læſiones, reſectiones, ac deſtructiones.

2) *Quæ iter ſanguinis a corde, & verſus illud prorſus tollunt*, ut: quæ hæmorrhagiam ad omnia rebellem conjunctam habent: qualia ſunt

vul-

vulnera auricularum, ventriculorumque cordis, majorum arteriarum, venarumque (ad quæ manui acceſſus non datur) in cerebro, collo, pectore, abdomine.

3) *Quæ reſpirationem ſuffocant*, uti ſunt: laringis contuſio, ac confractio *B*) plenaria arteriæ aſperæ abſciſſio: tum enim pars ejus inferior retrotracta ingrediendo aeri apta non eſt; Bronchiorum vulnera utrumque cavum pectoris penetrantia, majora quam rima glotidis; aut vulnus magnum unam tantum thoracis cavitatem intrans: tum enim aer thoracis cavum intrare valet, a quo pulmones comprimi, ac proin reſpiratio ſuffocari poſſet; vulnera pulmonum majora, atque diaphragmatis.

*) Ex his intelligitur, quod *bronchotomia* lethalis non ſit.

4) *Quæ chylificationem prorſus tollunt*, ut: 1*mo* vulnera magna æſophagi, pharingis plenaria reſectio, 2*do* vulnera magna ventriculi, inteſtinorum, tam tenuium, quam craſſorum, ubi nulla ſutura fieri poſſet, 3*tio* Cyſternæ lumbalis, ductus thoracici, & plurium vaſorum lacteorum in meſenterio.

B) Plenk Obſervat. Chyrurg.

5) *Quæ effuſionem humoris cujusdam cauſant impoſſibili humoris effuſi eductione*, uti ſunt: 1mo effuſio humorum in corpore caloſo, ventriculis vel cavis præter naturam exortis, cerebri, cerebelli, aut in calvariæ baſi, 2do eadem in pericardio, 3tio in abdomine, cavitate pelvis, inde vulnera veſiculæ felleæ, & ejus ductus, ureterum, inteſtinorum & veſicæ urinariæ majora, ab his enim effuſis partes vicinæ putredine corrumperentur, atque ideo, licet quandoque ſerius, certa tamen mors ſequeretur.

6) *Vulnera, quæ inſtrumentis venenatis inflicta ſunt*: ita enim venenum immediate ſanguini communicatur, & vehementius, quam ore aſſumptum, agit.

§. IX.

Vulnera per ſe, ſeu *ex natura ſua*, vel *ut plurrimum lethalia* ſunt, quæ ſibi relicta certo mortem adferrunt, ſed arte ſanari poſſunt, uti ſunt 1mo dum extravaſatio humorum in cranio contingit eo in loco, ex quo per trepanationem humor educi poſſit, 2do ligatura funiculi umbilicalis neglecta, 3tio omnes arteriarum, venarumque majorum, imo & aliarum partium læſiones, remediis aut manui acceſſum præbentes, ut: arteriæ intercoſtalis, temporalis, humeralis, brachia-

lis.

lis, ſubpoplitex, cruralis &c. ſic & minora veſicæ, & inteſtinorum vulnera.

*) Notatu tamen ſumme dignum eſt, quod hæmorrhagia lethalis per funiculum umbilicalem non ligatum, in nullo animalium genere, homine excepto, locum habeat.

§. X.

Per accidens lethalia fiunt illa vulnera, quæ certo curari poterant, ſi nullus error ab ægro, adſtantibus, vel medente commiſſus fuiſſet: quod in *ægro* fit, vel *natura* ejus peccante, vel *errore* a ſe commiſſo; *primum* fit cauſa quadam ante vulnus in corpore præſente v. g. *cacochimia* ſeu mala qualitate humorum, qualis in hydrope, pthyſi, ſcorbuto, lue venerea &c. obſervatur. Vel peculiari *Idioſyncraſia* in læſo dominante, ob quam minima cauſa accedente, totum ſiſtema nervoſum valide turbatur, ut homo in animi deliquium, convulſiones, ſpaſmos incidat, imo & inde obire poſſit; *ſecundum* accidit errore quodam in rebus non naturalibus commiſſo.

*) Morboſus vero ægri ſtatus, ad excuſandum vulnerantem non prodeſt, ſi læſio abſolute lethalis fuerit.

§. XI.

Porro vulnus per accidens lethale fit *errore medentis* 1*mo* ſi illud ab hæterogeneis inhærentibus, aut a ſuperabundante pure non ſatis repurgaverit, nec hæmorrhagiam ſiſtendam ſtiterit, tum enim obex curationi ponitur, 2*do* ſi in vulneris indagine cum inſtrumento inconvenienti procedat, & neglectis idoneis remediis, corroſivorum applicatione dolorem, majorem læſionem, hæmorrhagiam, inflammationem, ſpaſmum, convulſionem, gangrænam, imo & ipſam mortem adſciſcat, 3*tio* ſi ille majori copia extravaſatum humorem v. g. ex pectore, vel abdomine non debite eduxerit, vulnusque intempeſtive conſolidaverit.

§. XII.

Inter medicos, cauſarumque patronos frequentiſſima lis oriri ſolet, an non vulneratus potius ex ſymptomatibus vulneri ſupervenientibus, quam ex ipſo vulnere perierit? Hoc in paſſu lethalitate vulneris probe penſitata, ſymptomata etiam examinanda, & diſtinquenda ſunt: quædam enim a vulnere ipſo ortum ſumunt, & ab eo inſeparabilia ſunt, v. g. in læſione capitis ſtupor, flertor, epilepſia, convulſio, delirium, ſingultus, nauſea, vomitus, ſi igitur talia ſymptomata brevi poſt læſionem appareant, & perdurent, ab ipſa læſione diſtingui non poſſunt;

alia

alia ſunt ſymptomata, quæ rariſſime contingunt, & fere nullum cum vulnere habent comercium, v. g. ſi in vulnere capitis gangræna oriatur in pede, ſi in noſocomio degens contagioſo ibi morbo præhendatur vulneratus, & pereat, qui igitur ex tali morbo acceſſorio obit æger, non obit ex vulnere.

*) Sunt qui adhuc ſtatuant ſymptomata media, quæ partim ex vulnere, partim ex alia cauſa originem ducerent.

§. XIII.

Dantur quædam partes corporis humani, quæ violentiam exiguam etiam perferre non poſſunt; nam a leviſſimo etiam ictu in cordis ſcrobiculo; propter diaphragmatis,& ventriculi nervorum concuſſionem, in capite; propter cerebri commotionem, mortuos concidiſſe exempla apud authores proſtant, *C*) cerebri commotiones, ab exploſis machinarum ignivomarum globulis (licet non caput, nec aliam partem tetigerint) mortem ſubitaneam attuliſſe teſtatur Cel. Dn. I. D. Metzger *D*) ſic etiam majores ſpinæ dorſalis concuſſiones mortem inferre ſolent plerumque ſubitaneam, *E*) Si

G 5 igitur

C) Hildanus Obſervat. 21. capit. 1. Blegny Zodiaco Gall. An. 1681. Menſ. Octob. Obſ. 7.

D) In adverſariis medicis p. 26. Trajecti ad Moſam 1774.

E) Act. Berol. Dec. 1. Vol. III. pag. 86.

igitur illico poſt læſionem ſimilem ſecuta mors nulli alteri cauſæ adſcribi valeat, læſionem hanc abſolute lethalem fuiſſe dubitandum haud eſt.

*) Huc referri merentur læſiones oſſiculorum ſpongioſorum in naribus, quæ læſa irritando convulſiones ad mortem uſque produxerunt,

§. XIV.

Nec tantopere attendendum ſit ne, vulnus præſens hujus vel alterius organi (cujus læſio ab authoribus lethalis dicitur) ſed potius ex connexis, atque conſectariis cum vulnere probe comparatis, an lethale dici poſſit, nec ne videndum: Nullius enim partis corporis humani vulnus in genere lethale dici poteſt, niſi magnum fuerit, nam cerebri & cerebelli, cordis ventriculi &c. vulnera ſanata fuiſſe hiſtoriæ docent *F*) imo cerebrum per vulnus in ſubſtantiam fungoſam excretum, & impune a chirurgo reſciſſum fuiſſe ex Hallero ſcimus. In bove cerebrum, atque cerebellum petrefactum ſine læſæ ſanitatis nota adfuiſſe, caſus docuit. Poſt vulnus cavum pectoris penetrans ſanatum, multos poſt annos in cadaveris pericardio, & cordis apice callum, qui certum læſionis factæ indicium eſt, invenit Ioan. Pauli, ut alia plura reticeam. Sed hæc rariora ſunt.

§. XV.

F) A. N. C. Cent. 5. pag. 421. Dec. 1. An. 2. p. 195.

§. XV.

Ita & ex inſtrumenti lædentis indole, non tuto de lethalitate vulneris concluditur: nam grandiori etiam inſtrumento levis tantum percuſſio fieri poteſt, & contra levi alias inſtrumento magna cum vehementia moto, percuſſio lethalis evadere poteſt. Quis enim ignorat a Milone Cratonienſi athleta robuſtiſſimo in certamine olympiaco taurum ictu nudæ dextræ occiſum fuiſſe? imo levi inſtrumento, levis percuſſio in locis quibusdam facta, ut paulo ante inſinuavi, lethalis fit.

§. XVI.

Ex tempore mortis ſerius, citiusve evenientis lethalitatem plerumque concludere ſolent Iuris Conſulti, in termino autem conſtituendo ad modum inter ſe diſſentiunt: nonnulli enim ad duos vel tres dies, alii octo, alii decem, alii ad aliquot menſes lethalitatis terminum extendunt, alii ſecundum legem *Longobardorum* ad annum usque delicti mortiferi eventu agreſſorem teneri autumant, ſi ſcilicet per integrum hoc intervallum ſymptomata in dies ingraveſcant, & ex læſionis natura tanquam cauſa ſua proveniant. Sed a tempore non tutum de lethalitate formatur judicium, ſi enim vulnus abſolute lethale ſit, perinde eſt, ſi una die ſerius, vel citius vulneratus obierit, certo enim illi tamen pereundum erit, & ita mors differtur, non auffertur.

CA-

CAPUT XII.

DE VENENIS.

§. I.

Omnia corpora naturalia, quæ intus, aut extus exhibita, ſua natura, ac vi inſita, nobis ut plurimum adhuc ignota (niſi tempeſtive illis obviam eatur) corpus animale vel ita mutant, ut in ſanitate irreparabile damnum cauſetur, vel plane deſtruant, ut mors ſerius, aut citius contingat, *veneni* aut *toxici* nomine ſalutantur.

*) Græci nomen τοξικον his tantum venenis tribuerunt, quibus tela illinire ſolebant.

§. II.

Non igitur omnia illa, quæ in corpore humano nocivos effectus exerunt, venena ſunt; alias etiam hypecacuana in inflammatione ventriculi exhibita, quia cito gangrænam & mortem adferre valet, venenum dici deberet, ſed ad eſſentiam veneni conſtituendam requiritur, ut effectus nocivi ex propria corporis natura fluant eſſentia hæc, ſi mineralia exceperis, in effluviis ſubtiliſſimis corporis, vix pondus ſenſibile efficientibus conſiſtere videtur: hanc enim multa exſiccatione, coctione, deſtilatione perdunt, & aquæ communicare valent, imo in aliquibus juniores

niores tantum plantæ, non vero adultæ venenatæ ſunt.

§. III.

Pleraque venena cum alimentis, aut medicamentis doloſe exhibentur, vel incaute cum his, aut cum aere hauriuntur, quamvis & in cliſmate, unguento, ſuffitu, pulvere ſternutatorio, cyprio, venenum exhibitum fuiſſe exempla non deſint. G)

*) Huc etiam ſpectant tela veneno imbuta: his enim etiam toxicum corpori communicatur.

§. IV.

Venena non omnia ejusdem ſunt naturæ: alia enim cito, alia tarde nocivos ſuos effectus producunt; illa *acuta*, hæc *tarda* dicuntur, & ratione originis alia ad *mineralium*, alia ad *vegetabilium*, ad *animalium* alia pertinent claſſem, eaque aut *naturalia* ſunt, aut *præternaturam genita*, aut *arteparata*.

§. V.

Omnia venena dividi poſſunt I. in venena *inconſpicua* uti ſunt vapores venenati II. in venena *conſpicua*.

Vapores

G) Fort. Fidel. de Medicor. reſponſ. L. IV. Sect. III. Cap. II.

Vapores venenati vel ſunt *Narcotici* vel *Narcotici & acres ſimul* vel *ſuffocantes*, aut *paralyſim indicunt.*

Venena conſpicua, id eſt, quæ in ſenſus melius, quam vapores venenati cadunt, ſunt uti mox dictum vel *animalia*, vel *vegetabilia* vel *mineralia*.

§. VI.

I. *Venena animalia.* dividi poſſunt 1mo in *naturalia*, 2do in talia, quæ præter naturam in corpore animali originem ducunt. *Naturalia* ſunt α quæ nocent ſi deglutiantur β quæ tantum ſi immediate ſanguini communicentur γ quæ utroque modo ſimul nociva ſunt δ quæ vi electrica nocivos effectus exerunt.

II. *Vegetabilia* denuo diſpeſcuntur 1mo in *naturalia* 2do *præter naturam genita* 3^tio^ *artefacta*. Ex naturalibus iterum α quædam tantum nociva ſunt, dum deglutiuntur, β quæ etiam vulneri externe applicata mortifera fiunt, prima alia ſunt a *acria*, b *narcotica*, c *acria & narcotica ſimul* d *paralyſim inducentia.*

III. *Mineralium* eadem eſt diviſio 1mo in *naturalia* & 2do in *artefacta* utraque α aut *acria* ſunt β aut *adſtringentia*; ad naturalia præterea etiam referuntur, quæ tantum agunt vi mechanica.

§. VII.

Vapores venenati vel reſpirationem ſuffocant, vel nervis inducunt tantam mutationem, qua ſtante officiis ſuis fungi nequeant. Vapore vero venenato hominem obiiſſe arguitur, ſi antea ſaniſſimus ſine omni cauſæ applicatione ſubito mortuus concidat in aere exhalationibus quibusdam inquinato, quod confirmatur magis, ſi cadaver, aut veſtes defuncti ſpecialem quendam ſpargunt odorem.

§. VIII.

Vapores narcotici, quibus odor graveolens, teter, & ſumme adverſus eſt, inducunt debilitatem, cephalalgiam, vertiginem, anxietates, rigores, animi deliquia, motum partium difficilem cauſant, aut hunc abolent, ſopiunt omnes ſenſus, & lethali ſomno mortem inferrunt, præcipue in loco clauſo, aut in aere diu non renovato, tales vapores ſpargit α hyoſciamus. β datura. γ opium. δ crocus. ε nicotiana. ζ oleandri flores. η canabis. ϑ lilium album, ι fabarum flores. κ arbor juglans. λ ſambucus. μ ita & aliæ plantæ licet bene olentes. ν liquores inebriantes, vinum, cereviſia, ſpiritus vini &c. ξ ambra, ο moſchus. π zibethum. ϱ camphora. σ caſtoreum. τ benzoe. φ aſſa fœtida.

II. *Vapores narcoticos & ſimul acres* exhibet α cicuta viroſa. β conium maculatum γ fungi

gi venenati. δ arbor Hypponiane ε rhus toxicodendron ζ radicans η vernix. Hæc præter narcoſim ruborem, pruritum, tumorem faciei & manuum, puſtullas prurientes in toto corpore excitant.

§. IX.

Vapores ſuffocantes plerumque, reliquis partibus intactis, organa reſpiratoria petunt, ita ut reſpirationem vel lædant, vel plane aboleant, tales ſunt 1*mo* Metallici 2*do* Acidi 3*tio* Alkalini.

1*mo* *Metallici* ſunt α arſenicales ſive artificiales fiant, ſive naturales reperiantur in fodinis ubi mineræ arſenicum continentes effodiuntur. β alii adhuc ignoti,

2*do* *Ad acidos* præprimis ſpectat ſuphuris ſuffocans vapor, nec tamen omni culpa abſolvi debent ii, aliorum acidorum uti: Vitrioli, Nitri, Salis communis, Aquæ regiæ, atque præparatorum puta mercurii ſublimati corroſivi, butyri antimonii,

3*tio* *Alkalini volatiles* α ſpiritus ſalis amoniaci β ſpiritus Cornu cervi, γ a plantis acriter olentibus v. g. Squillæ, cæparum, raphani, ſynapi &c. δ & huc amandandi ſunt vapores cantharidum.

§. X.

Vapores arſenicales cognoſci poſſunt 1*mo* quod allium redoleant 2*do* in aqua cuticulam albam, alibi farinam, aut concretum album in fractura politum forment, 3*tio* cuprum ſub cer-

tis

tis conditionibus dealbent; Hi tamen vapores quandoque non mox enecant, ſed ingentes dolores, vomitus enormes, diarrheam cruentam, covulſiones, & demum mortem producunt, inde inſuper cadaver tumet, brevi putreſcit, maculas hinc inde gangrænoſas, aliaque arſenici intus aſſumpti ſigna præbet.

Vapores acidi valde acres ſunt, tuſſim excitant odore, & ſapore naturam ſuam produnt, vaſis cupreis æruginem, ferreis rubiginem inducunt, ſtani, plumbi, argenti, ac aliorum ſuperficiem pro diverſa indole calcinant, vitrum obfuſcant, imo etiam colores veſtium mutant.

Mercurii ſublimati corroſivi vapores præterea partes externas, oculos, nares rodunt, inflammant, & plane ſalivationem producere obſervati ſunt.

Vaporum alkalinorum naribus attractorum actio æque intenſiſſima eſt, atque ſummum irritans totius ſenſorii humani, hi proprio atque ſpecifico eminus dignoſcuntur odore.

§. XI.

Vaſa cerebri, ejusque cava, arteriæ pulmonales, ventriculus dexter, & auricula ſanguine tenui plena, cavitates ſiniſtræ, venæ pulmonales fere vacuæ, lingua tumida, cadaver rubrum, tumidum ac diutius callens reperta, in cadaveribus tanquam effectus vaporum narcoticorum, & acrium

a multis conſiderata ſunt, quod tamen perperam ſtatuendum non eſt, cum ſæpe arduum ſit, ſi non impoſſibile dijudicare inter mortis cauſas, atque effectus. Huc amandari queunt 1mo. Vapores lythantracum flammantium, elichnii candelarum, & lampadum fumantis 2do. vapores in fodinis præſentes inflammabiles 3tio. vapores fermentantis vini, cereviſiæ, fructuum horreorum, paſtæ panis, ſachari 4to. vapores putreſcentium præcipue animalium, aquarum &c. 5to. exhalationes copioſorum animantium in loco, ad quem aeri acceſſus denegatur, retentorum 6to. vapores ex diu clauſis ciſternis, aut cellis provenientes 7mo. vapores habitaculi recenter exſtructi, aut calce dealbati, ſub priore conditione.

*) Huc etiam ſpectant ſuffitus venenati; ita fumo facis veneno imbutæ interiiſſe Clementem Septimum Pontificem maximum teſtis eſt Paulus Zachias. *H*)

§. XII.

Venenati vapores paralyſim inducentes prius obſtructiones pertinaces, dolores colicos atroces, ſalivam dulcem, apetitum proſtratum, ſiccitatem, ſitim, vomituritionem, alias ſimul tuſſim, aſthma, palorem, vertiginem, tremores, ſenſu-

H) Quæſt. Medico-legal. Tom. 1. L. 2. titl. 2. Quæſt. 2. Nro. 12.

ſuum eclipſim, epilepſiam, & mortem apoplecticam, atrophicam, aut hecticam inducunt, plerumque lente occidunt, hi a mercurio vel plumbo præcipue dependent

*) Vapores mercuriales quædam ſymptomata: nempe ſalivationem, dentium ellapſſum tumores oris fœtidos, ſibi peculiaria habent.

§. XIII.

Venena conſpicua melius cognoſcuntur, nec tam prompte enecant, hinc etiam periculum ab iis inductum, aut inducendum facilius amoveri valet. Venena conſpicua animalium quædam, etiam citra morbum præſentia, mordendo vulneri applicata, aut ſanguini modo quocūnque ingeſta, mortem adferrunt, ore cæterum ſumpta, aut extus partibus non læſis applicata, innocua ſunt. Ideo Lucanus cecinit: *l*)

Noxia ſerpentum eſt admiſto ſanguine peſtis:
morſſu virus habent, & fatum in dente minantur
pocula morte carent.

*) Venenis his tela etiam illiniunt malevoli, ut venenato vulnere occidant.

 §. XIV.

l) Phraſal L. IX. v 517.

§. XIV.

Veneni hoc modo corpori applicati (quod ſerpentibus quibusdam proprium eſt) ſequentia obſervata ſunt ſymptomata: tumor: color corporis ictericus; lividus; dolor; febris; inflammatio; apetitus proſtratus; ſitis; ſingultus; violentus & bilioſus vomitus; anguſtiæ; debilitas ingens; animus dejectus; palpitatio cordis; convulſio, ſpaſmi; ſenſus & motus voluntarii abolitio; ſanguinis ſolutio; ut ſæpe qua data porta de corpore ellabatur, pulſus debilis; parvus; intermittens; ſudor frigidus; gangræna; mors; cadaver citiſſime putreſcens; intumeſcens; fœtens; maculis nigro- cæruleis notatum; ichor ex vulnere effluens; atque hoc puſtulis obſeſſum.

Antidota ſunt: acetum; acidum vitrio i; aqua Pragena ſeu anodina dicta diſpenſ. Auſtr. Provinc. ſal anglicanus naſalis; poligalæ ſeneg. Rad; Lignum colubrinum Ophioxylon ſerpentinum *K*) amputatio cita partis optimum.

§. XV.

Duplex genus ſerpentum ictu venenum communicantium recenſetur a Linne.

I. *Crotallus* II. *Coluber.*

I. Ge-

K) Johann Friedrich Gmelin allgemeine Geſchichte der Gifte. Erſter Theil.

I. Genus in America reperitur cujus ſpecies ſunt α miliarius β horridus γ dryinas δ duriſſus ε mutus.

II. *Coluber* cujus ſpecies ſunt aliæ 1*mo* *Americanæ*: α atropos β leberis γ dipſas δ myćterizans ε lacteus. 2*do* *Aſiaticæ* : α Severus β ſtolatus γ atrox δ corallinus ε naja venenatiſſimus ſerpens omium hactenus notorum, ejus antidotum eſt lignum colubrinum ſive ophiorrhiza mungas Linei ζ ammodytes η lebetinus. 3*tio* *Affricanæ* α niveus β vipera, hæc veteribus & hodie adhuc venetis teſte Haſelquiſtio uſualis γ Haje *L*) δ ασπιχ teſte Haſelquiſt. 4*to* *Europeæ* α berus vipera officinarum noſtrarum β preſter γ cherſea δ aſpis aſpice.

§. XVI.

Quædam animalia comeſta ideo tantum veneni effectus exerunt, quia telis venenatis occiſa ſunt, alia ex pabulo hominibus nocivo venenata evadunt, quod obſervatum circa mytillum, oſtream edulem, percam venenoſam, cancrum ruricolam, Hippomanæ mancinella nutritum teſte Gmelin *M*) Et duodecim forte anni ellapſi ſunt, ubi id Vindobonenſes experti fuerunt circa limaces ſeu helicem pomaceam Linnei. Id etiam valet de lacte capræ euphorbii diverſis ſpeciebus (quibus delectatur) nutritæ.

 §. XVII.

L) Gmelin de venenis Parte I. fol. 291.
M) idem de venenis vegetabilus fol. 275.

§. XVII.

Ad venenata animalia, quæ intus & extus exhibita nociva evadunt, primario referri merentur cantharides; hæc veſicas in cute elevant, dolorem & inflammationem cauſant, dyſuriam, ſtranguriam, iſchuriam, mictum cruentum, nephritidem, ureterum, veſicæ urinariæ, urethræ inflammationem, gangrenam & mortem producunt, quæ omnia eo evidentiora ſunt, ſi intus aſſumptæ fuerint.

§. XVIII.

Animalia, quæ alia tangendo illis ictum electricum communicant, & ita quibusdam ſolum mortem cauſant duo piſces ſunt 1mus *Raia Torpedo* Linnei *Oechiatella* Itallorum, *Riand* Arabum, *Lerzemachi* Perſarum. 2dus eſt *Gymnatus electricus* Linnei. *Anguille tremblante* Gallorum. *Nem-Eel* Anglorum *Beef - Aal* Holandorum.

§. XIX.

Venenum, quod tantum effectus eſt ſtatus præternaturalis in corpore præſentis, eſt venenum *rabiei caninæ* ita dictæ, quod modo quocunque corpori communicatum eundem morbum communicat, & demum mortem infert, licet ſæpe diu in corpore ſopitum maneat.

Antido-

Antidotum eſt radix Belladonæ *N)* & arcanum illud, quod Fridericus Boruſſorum Rex emerat, atque divulgari juſſerat, in Diſſertat. inauguruli medica a Franciſco Hoezer pag. 43. & ſequent: deſcriptum.

§. XX.

Venena vegetabilia acria ſapore jam acrimoniam produnt, cuti applicata rubedinem, dolorem pungentem, aut ardentem, tumorem veſicas excitant, cuticulam ſeparant, aut in his partibus omnem ſenſum, & motum auferunt, ita ut apex linquæ, cui applicatum tale venenum fuerat, tempore quodam rigidus & inſenſilis manſerit; inflammationem validiſſimam; gangrænam; & ſphacellum, atque his poſitis ſolutionem continui immedicabilem inferunt.

Si talia deglutiantur æſophagum irritant, inflammant, hinc ſequitur partium conſtrictio, ſenſus ardoris in lingua, faucibus, æſophago, ventriculo, inteſtinis, ſitis inſatiabilis, anorexia, cardialgia, ſingultus, nauſea, validus, dolorificus, frequens, & quandoque cruentus vomitus, dolores colici vehementiſſimi, reliquis ſymptomatibus etiam ſopitis diu perſtantes, teneſmus cum alvo adſtricta, alias debilitans, validum, frequens, dolorificum, ſæpe fœtidum, aliquando cruentum

---

N) Richter Chirurgiſche Bibliothek Tom. V. Part. II. pag. 377

alvi profluvium micturitio, dyſuria, ſtranguria, iſchuria, mictus cruentus, hydrops, hæmoptoe, cephalálgia, febris ſymptomatica valentiſſima, calor urens, vigiliæ, facies pallida, cadaveroſa, unguium livor, diſpnoea, anxietates, ingens virium proſtratio, lypothimia, artuum tremor, rigor, ſpaſmi, convulſiones, riſus ſardonicus, cordis palpitatio, affectus ſoporoſi, delirium, pulſus celer, anomalus, debilis, gangræna, ſudor frigidus, inſtantis mortis prodromi huc pertinent.

Veneni aſſumpti eo major ſuſpicio eſt, ſi homo inopinate, ſine ulla cauſa cognita v. g. poſt alimenti aut potulenti aſſumptionem, plane ſi odor ejus ingratus ſaporque nauſeoſus fuerat, gravia hæc ac deleteria, quin morbi epidemici eo tempore graſſentur, experiatur ſymptomata.

*) Plurimos horum effectuum omnia venena acria, cujuscunque naturæ ſint, producere valent, non tamen omnia hæc ſigna ſimul ſumpta, in caſu aſſumpti veneni obſervantur,

§. XXI.

Ad venena vegetabilia acria referri poſſunt

I. *Plantæ cucurbitaceæ* quorum ſpecies eſt 1mo cucumis colocynthis, hujus fructus vi venenata pollet.

II. *Liliaceæ* 1mo Fritilaria imperialis radix venenata eſt. 2do Colchicum autumnale Rad. flor. ſem. 3tio Squilla Rad.

III. *Plantæ perſonatæ* 1mo Pedicularis paluſtris Herb. 2do Digitalis purpurea Herb. 3^{tio} Cyclamen europæum Rad. 4to Plumbago europæa Herb.

IV. *Apocyna* 1mo Convolvulus ſcamonea Herb. (hujus ſuccus in officinis noſtratibus ſub nomine ſcamonei exſtat) 2do Cerbera ahovai Lign. nucleus 3^{tio} Manghas fruct. 4to Cynanchum erectum fol. 5to Viminale Herb. 6to Apocynum Androſæmifolium Herb. 7mo Canabinum fol. flor. 8vo Venetum Herb. 9no Aſclepias gigantea Herb.

V. *Vmbellatæ* 1mo Hydrocatile vulgaris Herb. 2do Oenanthe fiſtuloſa Herb. Rad. 3^{tio} Crocata Rad. fol. 4to Scandix infeſta Herb. 5to Thapſia fœtida Rad.

VI. *Ranunculis affines* 1mo Aliſma plantago aquatica Herb. 2do Clematis vitalba omnes partes plantæ 3^{tio} Flammula tota planta præcipue flor. 4to erecta Lin. (flammula jovis Stöerck) fol. flor. 5to integrifolia fol. 6to palmata fol. Rad. 7mo Pulſatilla fol. flor. 8vo Pratenſis Herb. (officinarum noſtrarum Pulſatilla) 9no Narciſſiflora. Herb.

VII. *Ranunculli* 1mo Ranunculus flammula fol. 2do Lingua fol. ſem. 3^{tio} Ficaria (chelidonium minus officinarum noſtrarum) Rad. antequam flores errumpant 4to ſceleratus omnes par-

tes plantæ 6to bulboſus omnes partes plantæ 7mo alpeſtris Herb. 8vo Polianthemus Herb. 9no acer omnes partes plantæ 10mo arvenſis fol. 11mo gramineus Rad. flor. 12mo aſiaticus Herb, 13^{tio} aquatilis fol. flor. 14to platanifolius fol. 15to breyninus flor. *O*) 16to ſardonus Herb. *P*)

VIII, *Euphorbiæ ſeu Tithymali ſpecies* (eorum antidotum acetum eſt) 1mo Euphorbia antiquorum. *Q*) 2do canarienſis planta (hujus ſuccus in anglia ſub nomine *euphorbii* uſualis eſt) 3^{tio} officinalis Plant. (hujus ſuccus officinarum noſtrarum *euphorbium* eſt) 4to Tirucalli Herb. 5to Peplus Rad. ſem. 6to Lathyris (officinarum cataputia minor) omnes partes plantæ præcipue ſemen 7mo Helioſcopia Plant. 8vo Verrucoſa ſuccus plantæ *R*) 9no Platiphyllos Fuchſii Herb. 10mo Eſula Rad. Herb. ſem. 11mo Cypariſſias Herb. 12mo Paluſtris Herb. 13^{tio} Hyberna Herb. 14to Characias Herb. 15to amygdaloides Herb. Rad. ſem. 16to Sylvatica Herb. 17mo Exigua Herb. 18vo mauritanica ſuccus 19no neriifolia Herb.

IX. *Incompletæ* 1mo Arum α dracunculus Rad β dracontium Rad. γ colocaſia omnes partes plantæ (hujus radix ſub cineribus cocta alimentum evadit) δ maculatum, omnes partes plantæ, præcipue

---

O) Cranz Faſcic. Stirp. Auſtr. II. Tom. 4. fol. 2.
P) Cranz Faſcic. Stirp. Auſtr. fol. 84.
Q) Blackvell a a O T. 393.
R) Weinmann a. a. O. Tl. 491. f. d

cipue fol. (hujus radix ſucco expreſſo alimentum præbet) ε virginicum Rad & Baccæ recentes ζ arboreſcens tota planta η ſeguinum tota planta. 2*do* Polygonum hydropiper tota planta. 3*tio* Saelanthus α quadragonus Herb. β glanduloſus Rad. baccæ ſine noxa comedi poſſunt S) 4*to* Iatropha α curcas ſem. β multifida ſem. γ manihot rad. 5*to* Ricinus communis (cataputia major officinarum noſtrarum) ſem. 6*to* Craton Tiglium (grana tiglia officinarum) ſemina recentia, & lignum Molucanum ex radice.

X. *Arbores & Frutices* 1*mo* Daphne α mezereum omnes partes plantæ præcipue baccæ β laureola omnes partes plantæ γ cneorum fol. δ gnidium Bac. 2*do* Cneorum tricoccum plant. 3*tio* Amyris toxifera ſuccus fruticis 4*to* Rhus α vernix fol. & ejus exhalationes β radicans arbor tota γ toxicodendron ſuccus 4*to* Excoecaria agalocha ſuccus lacteus 5*to* Cambagia gutta Reſina. (gumi gutta officinarum) 6*to* Anacardium occidentale Oleum nucum. 7*mo* Caryota urens Bac.

§. XXII.

Alia venena conſpicua ſunt, quæ ita ſenſorium commune afficiunt, ut nervorum functiones lædant, aboleantve, a quibus tamen ſanitas, & vita pendent, *ſtupefactiva* ſeu *narcotica* dicuntur. Hæc

S) Gmelin de venenis vegetabilibus fol. 156. 157.

Hæc intus aſſumpta præter ſymptomata §pho. gva. recenſita (quæ multo evidentiora producunt) adhuc digeſtionem abolent, pulſum debilem, inæqualem, intermittentem, tremores, paralyſes, ſpaſmos, convulſiones, affectus ſoporoſos, apoplexiam adferrunt, ſanguinem potentiſſime ſolvunt, inde tumor, rubor, aut ex fuſco niger color faciei, aut alterius partis, hæmorrhagiæque, omnis generis pendent, ſudores frigidos cauſant, & cito occidere ſolent; cadaver cito putreſcit, livet, aut maculis gangrænoſis notatum eſt, & effectus §pho. 11ma recenſitos exhibet. Horum antidotum ſunt acida vegetabilia.

§. XXIII.

Ad venena narcotica referri poſſunt: I. *Plantæ ſolanaceæ*, quo ſpectant 1mo Phyſalis ſomnifera Baccæ 2do Solanum α lycoperſicum Herb. (hujus fructus *Poma Paradiſi* dictus culinaris eſt) β mammoſum fruct. γ inſanum Herb. 3tio Atropa mandragora Herb. rad. 4to Datura α ſtramoneum Herb. flor. fruct. & præcipue ſem. β metel Herb. flor. fruct. ſem. 5to Hyoſciamus α niger Rad. Herb. ſem. β albus Rad. Herb. ſem. mitius tamen agit præcedenti γ phyſaloides fol. rad. δ ſcopalia Herb. ε datura Forsk herba. 6to. Azalea pontica fol. præcipue flor, ipſum plane mel (quod apes expoline horum florum parant) authores narcoticum eſſe affirmant. II.

III. *Plantæ Perſonatæ* 1mo Antirrhinum oron- tium hoc Linne tantum ad plantas venenatas refert.

II. *Poliandræ* 1mo Actæa Spicata (Chriſto- phoriana officinarum olim) Baccæ.

IV. *Gramina* 1mo Lilium temulentum ſem.

V. *Plantæ incompletæ* 1mo Chenopodium Hy- bridum Herb. 2do Taxus baccata, Bac. fol. lign.

Ad venena narcotica adhuc teſte Gmelin re- ferri merentur 1mo Hearrgetree arbor 2do Roots of Hiaree arbor. (*T*)

§. XXIV.

Vegetabilía, quæ narcotica, & ſimul acria ſunt, ſigna conjuncta horum gerunt talia ſunt:

I. *Arbores* 1mo Hippomane mancinella ſuc- cus lacteus arboris præcipue medullæ & corticis vi venenata pollet, huc etiam ſpectat Hippoma- ne biglandulоſa cujus ſuccus venenatus eſt 2do Me- niſpermum cocculus ſem. 3tio Coriaria myrtifolia folia recentia & Bac. 4to Prunus laurocerasus fol. & flor. 5to Strychnos α nux vomica nuces β colu- brina lignum recens. 6to Nerium oleander, om- nes partes plantæ.

II. *Solanaceæ* 1mo Atropa belladona Bac. fol. rad. 2do Nicotiana, α tabacum, Herb. β ruſti- cana Herba viribus fortior priori γ paniculata Herb. δ glutinoſa Herb. omnium fortiſſima 3tio Bryonia alba radix recens.

III.

T) Gmelin de Venenis Vegetabilibus fol. 267.

III. *Vmbelliferæ* 1mo Chærophyllum α ſylveſtre Rad. hyeme effoſſa β bulboſum Rad. (hujus radix tenera cocta impune editur, & in foro ſub corrupto nomine *Pimperle* divenditur) 2do Aethuſa cynapium Hebr. & Rad. 3tio Sium latifolium Rad. 4to Cicuta viroſa Rad. 5to Conium maculatum (Cicuta officinarum noſtrarum) Rad. Herb. ſem.

IV. *Poliandriæ* 1mo Delphinium ſtaphiſagria ſem. 2do Helleborus fœtidus Rad. Herb.

V. *Incompletæ* Mercurialis perennis Herb.

VI. *Fungi* 1mo Agaricus α muſcarius β piperatus γ campeſtris flavus aut champignons jaunes δ Agaricus XV Schaeff. Icon. Fung. I Pl. XV. XVI. ε Agaricus pileolo campanulato in centro depreſſo, lamellis tenuibus petiolo fulcato, gracili, fungus mediæ magnitudinis, totus albus. (V)

Huc addendæ veniunt 1mo Canabis ſativa Herb. 2do Paris quadrifolia fol. Bac. 3tio Dorycnium veterum (X)

§. XXV.

Planta venenata vi ſpecifica paralyſim inducens unica hactenus nota eſt, nempe: Lathyrus cicera Linnei.

§. XXVI.

V) Gmelin de venenis vegetabilibus pag. 401.
X) Idem de venenis Part. II. fol. 403

§. XXVI.

Plantæ venenatæ, quæ, ſive deglutitæ, ſive ſanguini ab extus communicatæ nocent, aliæ acres, aliæ narcoticæ ſtatuuntur.

I. *Acres* ſunt: 1*mo* Verratrum album (Helleborus albus officinarum) Rad. fol. 2*do* Helleborus niger Rad. 3*tio* Ranunculus thora omnes partes plantæ. 4*to* Anemone α nemoroſa Rad. β ranunculoides omnes partes plantæ 5*to* Aconitum α cammarum omnes partes plantæ, præcipue ſuccus expreſſus β napellus omnes partes plantæ γ lycoctonum Rad. flor.

II. *Narcoticæ* 1*mo* Papaver ſomniferum ſuccus plantæ, & omnia inde parata. 2*do* Chelidonium glaucinum Herb. 3*tio* Lactuca α ſcariola Herb. β viroſa Herb.

§. XXVII.

Ad venena vegetabilia præter naturam genita refferri debent Olea rancida, & partes putridæ. Hæc effectus acrium exerunt.

§. XXVIII.

Venena vegetabilia arte facta, ſeu igne parata ſunt 1*mo* Olea Aetherea 2*do* Olea empyreumatica, inter quæ fortiſſimum eſt Oleum Tabaci, quod intus & extus nocet 3*tio*. Salia alkalina v. g. Lapis cauſticus.

§. XXIX.

§. XXIX.

Venena mineralia, quæ vi ſolum mechanica ob ſuam duritiem, figuræque acutiem, qua gaudent, noxia evadunt, alia *naturalia*, alia *arte parata* ſunt.

I. *Mechanica venena naturalia* ſunt: 1mo Lapis Lazuli. 2do Cryſtallus montana, 3^{tio} Hyacinthus 4to Granatus 5to Smaragdus 6to Saphirus 7mo Adamas 8vo Carneolus. Contuſa hæc nocivos effectus exerunt.

II. *Venena mineralia mechanice agentia arte tamen parata* ſunt: 1mo vitrum commune 2do Smalta ex Cobalto parata.

§. XXX.

Venena mineralia acria multa *arte* producuntur, alia *nativa* reperiuntur, illorum multa pure *acida* ſunt, alia *ſalina cum metallis* juncta, aut *non ſalina*. Prima ſpirituum mineralium nomine veniunt.

I. *Acida mineralia* ſunt: 1mo Oleum vitrioli, 2do Aqua fortis, & hac pejor ſpiritus nitri fumans 3^{tio} Spiritus ſalis marini 4to Aqua regia.

II. *Ad ſalina* aut *non ſalina* præparata metallica ſpectant 1mo Diverſa præparata antimonii, 2do mercurii 3^{tio} cupri 4to Argenti 5to Auri.

XXXI.

I. Venena ex antimonio parata ſunt 1mo Solutio reguli antimonii in aqua regia facta, 2do butyrum antimonii, 3^{tio} mercurius vitæ improprie ſic dictus 4to tartarus emeticus, 5to vinum emeticum, 6to hepar antimonii, 7mo vitrum antimonii, 8vo regulus antimonii, 9no crocus metallorum, 10mo ſulphur auratum antimonii.

II. Ex mercurio parata alia nocent dum intus aſſumuntur, alia etiam dum extus applicantur, talia ſunt 1mo ex mercurio & acido ſalis parata; α mercurius dulcis male paratus, β mercurius ſublimatus corroſivus, 2do ex mercurio & acido nitri α ſolutio mercurii in aqua forti β cryſtalli argenti vivi ſeu nitrum mercuriale γ mercurius præcipitatus ruber. 3^{tio} Solutio mercurii in acido vitrioli α oleum mercuriale β mercurius præcipitatus flavus ſeu *turpethum minerale*, γ Vitriolum mercurii.

III. Ad venena ex cupro ſpectant 1mo cuprum uſtum, 2do Crocus veneris 3^{tio} viride æris & ærugo cryſtalliſata 4to vitriolum cæruleum 5to omnes cupri ſolutiones in quocunque menſtruo factæ v. g. aqua ſaphirina 6to omnes cupri calces.

*) Licet cuprum ab omnibus jure merito qualitatis venenatæ accuſetur, cum quomodocunque ingeſtum, nocivos edat effectus; illud tamen ferme ab omni menſtruo, præipue ab ace-

to ſolvi chemia docet, & tamen cucumeribus, gemisque caparidum in aceto conditis colorem viridem per cuprum conciliare norunt mercatores, ab his vero ſumptis nullus in corpore malus obſervatur effectus; imo in vaſis cupreis nunquam ſtano obductis in tota Bohemia carpiones nigros coqui, & ſine noxa aſſumi nemo ignorat; nunquam tamen ſuadendum, ut cibi in ejusmodi vaſis cocti aſſerventur, donec refrigerati fuerint.

IV. Venena ex argento parata ſunt 1*mo* variæ ejus ſolutiones uti: α vitriolum lunæ β cryſtalli lunæ vel cauſticum lunæ vel lapis infernalis γ luna cornua.

V. Venena ex auro ſunt: 1*mo* ſolutio auri in aqua regia.

§. XXXII.

Ad venena metallica, acria, naturalia referri debent: arſenicum nativum, & omnes ejus mineræ, atque calces uti: ſandaraca & arſenicum rubrum veterum Realgar.

§. XXXIII.

Ex arſenici per Bergmannum denudata indole conſtat, atrociſſimum hocce venenum inſtar acidi maxime corroſivi agere, etiam externe; quum itaque phlogiſton & alkalina efficaciſſime acidorum vires compeſcant, hinc facile eruitur, quo-

quomodo mitigandum ſit arſenicum, & qua via eidem obviam eundum; ſententiam hanc caſus aliquis nuperrimus confirmare videtur, ubi nempe maritus uxori ſuæ certam quantitatem arſenici in juſculo porrexerat, quadrihorio ab aſſumpto veneno ellapſſo, dum fœmina enormes pateretur dolores colicos, maritumque enixe rogaſſet, ut ſibi ſpiritum frumenti ſeu crematum procuraret, hoc allato novam arſenici portionem priori æqualem in cremato illo ſolutam maritus uxori porrexerat, hauſto cremato illa & a torminibus, & ab omni veneni ſequella libera evaſit.

§. XXXIV.

Alia ex mineralibus venena *ſtiptica* ſunt, vel *adſtrictoria*; hæc lente agunt, plane ſi doſi parciori porrigantur, effectus & ſigna adſtringentium exhibent: etenim humoribus coagulum, viſcerum obſtructiones, ac conſtrictiones vaſorum inducunt, partimque ſimul ſolida arrodunt, abdominis duritiem, alvi atque urinæ ſuppreſſionem, dyſuriam, ſtranguriam, dolores colicos, nervorum debilitates, paralyſes, contracturas, partium internarum inflammationes lentas, ac læſiones, ſpaſmos, febrem habitualem, maraſmum, virium decrementum, lentamque mortem ſerius, certo tamen induxiſſe viſa ſunt, quandoque etiam noxia ſua ſymptomata ſat cito excitant.

*) Qui artem hæc venena exhibendi recte callent, ita occidunt, ut occidiſſe haud videantur, & ideo rarius de ejusmodi veneno exhibito occurrit quæſtio.

§. XXXV.

Venena ſtiptica alia *metallica* ſunt, alia *terreſtria*.

I. *Metallica* ſunt 1*mo* Biſmuthum & ejus calx 2*do* venena ex plumbo (plumbum enim ſub omni forma ſemper ſuam ſtipticam vim retinet) talia ſunt α plumbum crudum β calces plumbi uti ſunt a ceruſa plumbi, b magiſterium ſaturni, c minium, d plumbum uſtum, e cinis plumbi, f lytbargyrium auri, & argenti, g omnes plumbi ſolutiones quales ſunt A. in aqua. B in acidis factæ huc ſpectat α Tinctura ſaturnina, Londinenſium β Vitriolum plumbi. γ Nitrum ſaturninum. δ Plumbum cornuum. ε cryſtalli ſeu ſacharum ſaturni. ζ Acetum lythargirii. η Extractum ſaturni ϑ aqua vegetomineralis Goulardi, ι huc etiam ſpectant vina plumbo vel lythargirio edulcorata κ omnes plumbi mineræ, & mixtiones cum aliis metallis v. g. cum mercurio; aut eorum præparatis v. g. cinabaris cum minio mangoniſata.

II. Ad venena obſtruentia terreſtria ſpectant 1*mo* Calx viva & exſtincta, intus & extus exhibita, licet acrimonia ſua ſimul lædat, 2*do* gypſum crudum

dum & uſtum, 3tio omnes terræ calcareæ v. g. creta.

§. XXXVI.

Veneni aſſumpti antea recenſita ſigna, non quidem ſemper omnia, attamen pleraque, aut ſaltem quædam, diverſo inſuper gradu adeſſe ſolent. Etenim unum idemque venenum pro diverſa ſua doſi, vehiculo, præparatione, additamentis, exhibendi modo, pharmacorum antea, vel brevi poſt, aſſumptorum conditione, hominis temperamento, vitæ regimine, viribus, ætate, ſexu, valetudine ſecunda, vel adverſa, ventriculi vacuitate, vel repletione, diverſo ab aſſumptione tempore, varia & modo mitiora, modo vehementiora producit ſymptomata; Plantæ vero venenatæ præterea in effectibus variant pro diverſa patria, gleba, exſicatione, exhalatione prægreſſa, maturitate, atque cultura, ideo quædam venena certo tantum tempore nociva ſunt, ita ranunculi ſcelerati radix dum herba floret, ſine omni acrimonia eſt; quædam per præparationem præſtantiſſima medicamenta fiunt, dum quædam partes volatiles abiguntur, vel per addita alia illorum natura deſtruitur, ita cicutæ extractum fit, ita regulus antimonii addito ſulphure innocuus evadit, imo etiam alia eſui apta fiunt: ſic Americani ex radice venenata *Manihot* ſucco expreſſo ſibi panem ſalubrem parant. Quantum

præterea conſuetudinis efficacia hic valeat exemplo Turcarum ſcimus, qui opium orientale illis *Maslac* dictum, ad hilaritatis & roboris conſecutionem tanta doſi impune degluṫiunt, quanta ſine certo imminente morte nulli uti liceret; exemplum conſuetudinis quoque habemus in officinis noſtris vitrariis circa arſenicum.

*) Novit Clauder hominem in Germania adeo opio aſuetum, ut omni die drachmas duas per octodecim menſes impune aſſumpſerit.

§. XXXVII.

An ullum in rerum natura exiſtit venenum *, quod abſolutum dici poſſit, ſeu quod exhibitum inevitabilem mortem inducat? vix affirmare licet, cum plurima horum juſta doſi, & in appropriato vehiculo exhibita, heroica, efficaciſſimaque evadunt remedia; Arſenicum enim in cancro mammæ; cicutam in obſtructionibus; mercurium ſublimatum corroſivum in lue venerea; hyoſciamum, ſtramoneum in mania; aconitum in rheumatiſmo, arthritide; belladonam in rabie canina (ut alia plura ſilentio premam) efficaciter exhiberi quis ignorat?

§. XXXVIII.

Attamen venena quædam, maxime ex regno minerali deſumpta, *abſoluta* dici merentur eatenus, quatenus juſte majori doſi data, omni

ani-

animantium generi deleteria evadunt, uti in arſenico, mercurio ſublimato, butyro antimonii &c. videre eſt.

Alia *relativa* cuidam tantum animantium generi noxia ſunt e. g. Nux vomica brutis, non æque hominibus deleteria eſt; Aloe canibus & vulpibus nociva; cocculi indici piſcibus & pediculis deleterii; phelandrium aquaticum equis lethale, bobus innoxium eſt; Doronicum canes necat, rupicapras, alaudas, & hirundines nutrit; ſemen petroſelini avibus piper ſuibus damnoſum eſt; Amygdalæ amaræ vulpes, felles, & galinas necant; Conii maculati ſemine ſturni, ſtramonei ſemine phaſiani, lolii temulenti ſemine coturnices, hyoſciami radicibus ſues ſine damno veſcuntur;

§. XXXIX.

In cadaveribus veneno, præcipue acri, interremptorum ſequentia conſpiciuntur ſigna: *Externe* facies, fauces, atque abdomen tumida, livido, cæruleo, nigricanteve colore tincta, os nigreſcens, ejusque cavum inflammatum, & cruentum, lingua tumida, ex corporis peripheria cuticula ſecedit, & cadaver cito in putredinem vergit. *Interne* in primis viis maxime in ventriculo, & duodeno uti & in aliis viſceribus v. g. pulmonibus, hepate, liene, renibus, maculæ fuſcæ, lividæ, ac nigræ, erroſiones, ſanguis effuſus, grummoſus,

corruptus, fœtidus, niger hinc inde inflammationis, gangrænæ, ac ſphacelli ſigna, tunica viloſa ventriculi ſecedens, exeſa, alias venæ ventriculi, inteſtinorum, meſenterii admodum tumidæ, cor flaccidum, aut ſubin contractum, ita etiam pulmones, hepar atque renes ſanguine turgida non raro inveniuntur, imo quandoque venenum in ventriculo & inteſtinis deprehenditur, cuius natura quomodo dignoſcenda videatur. Part. II Caput II. §. 8va.

*) Poſſibile tamen foret, ut mortis violentæ ex veneno in cadavere vix conſpiciatur ſignum.

§. XL.

Non deſunt tamen morbi v. g. Dyſſenteria, Cholera, febres ardentes, bilioſæ, putridæ & peſtilentiales, qui vehementiſſimis ſuis ſymptomatibus ſubito ingruentibus, ſignisque in corpore mortuo relictis, magnam ſimilitudinem cum veneni effectibus habent; hi vero cauſis antecedentibus, morbi ſymptomatibus, atque ſignis in mortuo inventis, probe inter ſe collatis, per artis peritum, licet quandoque non ſine difficultate, ab intoxicatione dijudicabuntur.

§. XLI.

Quosdam veneno aſſumpto vel natura, vel antidotorum beneficio, ſuperſtites manſiſſe ſci-

ſcimus, hi interim morbis ſonticis diverſiſſimis, contracturis, paralyſi, atrophia, febre hectica, cæcitate, ſurditate, aphonia &c. per totam vitam coflictabantur. Dependeant ne effectus hi a veneno aſſumpto, aut alio potius morbo, cautus ſit in determinando medicus.

CAPVT XV.

DE NOCIVA AC DOLOSA CEREVISIAE AC VINORVM ADVLTERATIONE.

§. I.

Quanta aquæ impuræ, cereviſiæ male fermentatæ, actu fermentationis ſuppreſſæ, corruptæ, muſti, vini, immoderatus uſus inferrat damna, recenſere ſcopus non eſt: hæc enim non ad *medicinām legalem* ſed ad *politiam medicam* ſpectant, de nociva ſolumvini, & cereviſiæ adulteratione pauca dicere conſtitui.

§. II.

Vina auſtera acidula, peſſimo mangonio, frequentiſſime per plumbata, uti: ſacharum ſaturni, lythargirium &c. edulcorari ſolent a fraudulentis, quo ſimul noxia, lente occidente qualitate hæc imbui, ex natura plumbi in capite de venenis dicta, concludere licet. Caſus non infrequentes habentur in Galliis & in Anglia vino-

rum plumbi calcibus adulteratorum, interim capitis ſupplicio plectuntur authores; in Auſtria omne fere vilius vinum plumbata recipit, (Einſchlag vocant) inde repeti poteſt ratio colicæ, qua ibidem frequentius corripitur vilius hominum genus his pravis vinis potiſſimum abutens.

§. III.

Vina Lythargyrio aliisque ſaturninis adulterata a plurimis dijudicari poſſe ſtatuuntur liquore docimaſtico ex auripigmento, & aqua calcis vivæ, leni coctione vel digeſtione parato; hoc liquore hepatis ſulphuris arſenicalis naturam habente, in vinum ſuſpectum ſucceſſive, ac ſufficienter inſtillato pro diverſo adulterationis gradu, actutum vel ſucceſſive ſedimentum rubeum, purpureum, vel nigreſcens ad fundum agi, at in leviori adulterationis gradu, in ejus ſuperficie colorem rubeum comparere, totumque vinum turbidum fieri, in vino autem genuino non niſi ſedimentum album conſpici aſſerit Baumer. (*V*) Sed infidum eſt experimentum, niſi docimaſia præcipitati inſtituatur, melius longe adhibetur ſolutio hepatis ſulphuris vulgaris, imo per ſolum, ſimplex acidum ſalis communis vino plumbatis adulterato inſtillatum, plumbum cornuum præcipitari debet.

§. IV.

V) Medicin. forens. fol. 156

§. IV.

Dantur etiam vinorum corruptelæ vegetabilibus procuratæ, non æque quidem noxiæ, attamen valetudini adverſæ v. g. Salvia ſclarea hormino pratenſi vinis ſaporem moſchatellinum, ſed ſimul vim quandam narcoticam conciliant, colocynthide vel turpethi radice vinum amaritie donant, ſed & doloribus colicis occaſionem præbent.

*) Quandoque non doloſe, ſed culpoſe, ignota Oenopolæ additamenti nociva natura, vinorum adulteratio imprudenter contingit.

§. V.

Cereviſiæ autem æque doloſe adulteratur, dum aut avaritiæ, aut inopiæ cauſa ad meracitatem, & ſpirituoſitatem imitandam addunt glutinoſa varia, & ipſum gluten ſcriniariorum, aut narcoticis herbis, & præſertim ſabina eandem cereviſiam corrumpunt, unde utique plurima mala in univerſum redundant populum.

CAPVT V.

DE ABORTV.

§. I.

Dum embryo ante diem ſibi a natura deſtinatum, non ſponte ſed ex aliqua vi accedente,

dente, ſive vivus, ſive mortuus ex utero excluditur, tunc lato ſenſu & infans, & ejus præmatura excluſio, *abortus* nomen gerunt. Strictius vero ſumptus abortus dicitur fœtus ante ſeptimum menſem excluſus, vel mortuus, vel vivus, ſed nullo modo vitalis; *abortus* enim nomen idem importat, ac ſi diceres *non ortus* vel *fruſtra ortus*, & id circo abortus æquiparatur ei, qui natus non eſt.

§. II.

Præmatura fœtus imperfecti modo quocunque procurata excluſio *aborticidium* & in jure criminali *procuratio abortus* audit; omnia ſimul illa, quæ eum promovere apta ſunt, *abortiva* dicuntur.

§. III.

Omnia illa, quæ fœtus præmaturi cauſæ ſunt (de quibus in parte II. Capit. IV. §. 9no dictum) etiam abortum procurare valent; dantur præterea nonnulla pharmaca abortum procurare apta, quo pertinent omnia ſanguinem valide axagitantia; nervos nimis quam vellicantia; & per conſequens dolorem, convulſionem, in variis partibus, præcipue utero adjacentibus, excitare capacia, qualia ſunt: draſtica purgantia, emetica talia, ſternutatoria, diuretica, valida venæ ſectio, aut repetito præcipue in pede celebrata; imo prædi-

cantur

cantur ſpecifica quædam pharmaca, quæ in uterum agerent, eumque vel in contractionem incitarent, vel humorum motum majorem verſus eum determinando, avulſionem placentæ ab utero, & ita abortum producerent, qualia vulgo Aloe, Borax, Crocus, Colocynthidis pulpa, Lauri Baccæ, Myrrha, Sabina creduntur, etſi nec hæc (felici eventu) effectum hunc ſceleſtum omnino præſtitiſſe ſemper deprehenſa fuerint.

*) Subin talia licet abortum non procurent, fœtum in utero hærentem tamen enecant.

§. IV.

Signa perpeſſi abortus ex parte mulieris eadem fere ſunt, quæ mulierem partum naturalem ennixam fuiſſe teſtantur; in fœtu vero hæc ex ejusdem magnitudine, partiumque perfectione deſumuntur, abortus per conſequens primis graviditatis menſibus procurati ſigna cognitu admodum ſunt difficilia, ſi non omnino impoſſibilia: hæc enim certa tantum a mole fœtus, retentioneve diuturniori menſium dependent, ſi ergo hæc notabilia non ſuerint, nec ſigna manifeſta erunt.

§. V.

Aborticidium malo doló, quocunque poſt conceptionem tempore procuratum, ſpecies infanticidii eſt; Tertulianus ait: *Homicidii feſtinatio*

tio

tio eſt prohibere naſci. Z) Etenim fœtum humanum primo conceptionis momento animatum exiſtere in capite de baptizmo indicavi; conſervationem ergo conceptus omni tempore ſibi vindicat officium medentis licet eundem ardua neceſſitas ſubin cogere poſſit, ad fœtum in utero contentum non attendendum v. g. dum gravida venenum ore aſſumpſiſſet, in tali caſu enim emetica juſte indicata exhiberi debent, ſi etiam abortus inde certo prævideretur; imo uteri hæmorrhagia ad quæcunque remedia rebellis, fœtum evellere, ad conſervandam ſaltem matrem, impune jubet; diſtinguunt ideo authores inter abortum *directe* atque *indirecte* provocatum, illum vocant, quando dolo malo ſpes prolis exſtirpatur, indirectum autem, quando remedia morbo quidem matris competentia, ſed ſimul ita comparata adhibentur, ut abortum provocare poſſint, huncce poſteriorem modum inter licitos, priorem inter illicitos numerant; attamen magna hic cautione ſemper opus eſt.

*) Embryonem mortuum, ne in utero retentus matri noceat, inſtrumentis concidere, atque extrahere conceſſum, atque oppido neceſſarium eſt.

CA-

Z) Apologia C. 9.

CAPVT VI.

DE INFANTICIDIO.

§. I.

Læſiones adultis lethiferæ, tales etiam infantibus ſunt, in his inſuper partim plures, partim etiam aliæ quædam facilius locum habent; etenim jam in utero fœtus, vel ſub ipſo partu vita privari, vel ſtatim a partu, aut aeris injuriis commiſſus necari, aut neglecta funiculi umbilicalis, præprimis curte abſciſſi, deligatione hæmorrhagiam cito lethalem incurrere poteſt, hanc infanticidium per *omiſſionem* Iuris Conſulti appellant, ubi violentia externa adhibita, infanticidium per *commiſſionem* vocare ſolent.

§. II.

In inventi recens nati corpuſculum mortuum, inſpectione, atque ſectione legali ideo ſtudioſe inquirendum, ut, an mortuus vel vivus in lucem editus, & in primo caſu an morbo defunctus, vel occiſus fuerit, & qua ratione infanticidium peractum ſit, pateat.

§. III.

Fœtum mortuum natum fuiſſe docent ſigna vitalitatis (de quibus alibi jam) in cadavere abſentia, quo adhuc amandari poſſunt, fontanella

ſine depreſſionis ſignis ſolito latius dehiſcens, ſubſidens, funiculus umbilicalis marcidus, collapſſus, placenta flaccida, corrugata, exſangis, aut dum indicia putredinis præſentia vel in placenta, atque funiculo umbilicali, vel in ipſo fœtu recens excluſo reperiuntur, quæ dignoſcuntur, ſi cuticula hinc inde ſecedat, ſine violentæ læſionis notis liveſcat, verbo ſi fœtor putridus percipiatur.

*) Fœtus in utero matris mortuus paulo diutius quidem hærere poſſet, quin putreſcet, forte ob comunicationem cum aere externo ſublatam, putredinem tamen non evitat.

§. IV.

Signa infantis vivi editi ex actionum vitalium, circuli nempe humorum ac reſpirationis exercitio aliquali, vel plenario, poſt partum peracto deſumuntur.

§. V.

Reſpiraverit ne infans natus pulmones docere poſſunt, ſi nimirum ii denſi, verſus dorſum retracti, colore rubeo præditi, nec expanſi ſint, ac pericardium a pulmone ſiniſtro haud tectum ſit, ſed nudum conſpicitur, hique toti, vel in partes minimas etiam diſecti, in aquam projecti, fundum petant tunc in fœtu nullam a partu reſpirationem adfuiſſe concludendum. Contra ubi uterque pulmo expanſus pectoris cavitates reple·

replevit, atque a ſuperiore ſiniſtra parte pericardium ſuo modo tectum eſt, pulmonesque in aquam projecti ſupernatent, tunc fœtum a partu reſpiraſſe, adeoque vixiſſe conſtat.

*) Examen pulmonum inſtituatur in vaſe profundo, aqua limpida pleno.

§. VI.

Subin quædam tantum pulmonis pars, collapſis reliquis, & in aqua fundum petentibus, expanſa eſt, atque aquæ ſupernatat, tunc non niſi debilem reſpirationem, talemque vitam a partu adfuiſſe, vel arte aliquid aeris (quod ad fætus non reſpirantes excitandos ab aliquibus fieri ſolet) in pulmones inflatum eſſe colligimus, quod ultimum tamen, ut huic fides haberi poſſit, per teſtes ſufficientes evictum eſſe debet; Cæterum unica tantum reſpiratio facta ſupernatandis in aqua pulmonibus ſufficit.

§. VII.

An fœtus in utero hærens ore uteri oſtio obverſo, ruptisque membranis poſt effluxum aquarum reſpirare poſſit controverſia olim erat celebris; plures quidem nacta eſt authores ſententiam hanc defendentes, hodie tamen ex plurimis rationibus omnino non affirmatur.

§. VIII.

Magnam ſemper examen pulmonum poſtulat attentionem: etenim pulmones ſcyrrhoſi, calculoſi (etſi rariſſime tales inveniantur) in aqua fundum petunt, quamvis infans reſpiraverit. Hoc in caſu tamen aliqua ſemper pulmonum portio libera manebit, quæ examini inſerviat. E contra pulmones putredine corrupti aqua ſpecifice leviores fiunt, hinc illi innatant, hi tamen aquæ fundum ſucceſſive petunt, dum pulmones recentes ab aere non expanſi citiſſime ſubmerguntur.

§. IX.

Poterit tamen fœtus non reſpiraſſe, & tamen vixiſſe cum citra reſpirationem motus cordis, & circulus ſanguinis, ex quo natus eſt, aliquamdiu continuare poſſit: fœtus enim in lucem recens editos aliquamdiu ſine reſpiratione vivere poſſe, ex peculiari eorum ſtructura, atque experientia notum eſt. Duas ex coitu illicito, a diverſis matribus ennixas puellas, ab his vivas pannis obvolutas, atque in terram defoſſas, humo, atque ſpinarum mergetibus coopertas, poſt aliquot tamen horas, ſingulari fato, viventes iterum erutas ſe accepiſſe Ioann. Bohnius teſtatus eſt. *Aa*)

*) Fœtum quandoque involucris ſuis adhuc incluſum naſci (qui revera vivit, nec tamen ante membranarum apertionem ſpiritum trahit) notum eſt.

§. X.

---

a) offic. Medici forenſis pag. 667.

§. X.

Plagæ viventis a violenta nempe compreſſione, laceratione, aliove vulnere ortæ, ſanguine notabili copia effuſo diſtinquuntur, hinc ſanguis ſtagnans, atque coagulatus inter integumentorum communium, pericranii, carniumque fibras, ac cellulas, atque cavitates, quin & fibræ laceratæ, vaſaque rupta, uti & ſtigmata profundiora inſtrumento tenui, acuto, in encephalo vel medulla ſpinali facta, quoniam læſionem tempore vitæ factam arguunt, vitam adfuiſſe indicio ſunt; læſiones autem corpori mortuo inflictæ ob circuli ſanguinis defectum, ejusmodi ſugilationibus, maculis, echimoſibus, ſtipatæ non ſunt, ſed tum ſimul an cava cordis, vaſaque venoſa majora ſanguinem contineant nec ne, ſolicite ſcrutandum; ubi hæc cruore vacua inveniuntur, ſanguinem vel ex funiculi umbilicalis abrupti, aut diſciſſi & non ligati, vel vulnere quodam facto effluxiſſe, aut in cavum aliquod penetraſſe, adeoque ſanguinis circuitum, vitamque a partu adfuiſſe argumento eſt.

*) Bene interim perpendendum ſint ne læſiones conſpicuæ a matre, an vero ſub gravioribus partus difficilioris connatibus, ab obliquo uteri, aut capitis infantilis ſitu, vel rudiore manuum obſtetricantis, vel inſtrumentorum applicatione derivandæ.

§. XI.

In natis partu difficili leviores oſſium cranii compreſſiones, atque ſuggilationes, nec tamen fracturæ, ac fiſſuræ locum habent; excipe tamen violentiam externam e. g. ſi infans partu facillimo natus capite irruat ſuper pavimentum, præprimis ex lapide ſtratum: inde enim læſiones abſolute lethales, etiam citra intentionem contingere poſſent.

*) Maculæ rubræ, virides, ac nigreſcentes in corporibus morbo putrido exſtinctis, ſubin etiam præſentes ne inponant!

§. XII.

Ex funiculo umbilicali cum placenta adhuc cohærente hæmorrhagia lethalis non ſemper contingit, nec illam ex eo longiori, complicato, atque in loco frigido contigiſſe exemplis conſtitit, ubi vero proxime ad umbilicum, vel ab hoc nonniſi aliquot policum diſtantia reſecatur, vel abrumpitur, nec ligatur, lethale ſanguinis profluvium, ſuffragante experientia, accidere ſolet, imo id etiam contingit, ſi nimis laxe ligatus ſit, exceptionem ponunt animantia bruta, in quibus id contingere non obſervatur, ſola tamen hæc deligatio ommiſſa nil docet, niſi vaſa majora ſimul vacua deprehendantur.

§. XIII.

Funiculi umbilicalis ſolutio vel ſecundum artis regulas, vel caſu fit, ſic in ſtando parturiente ſibi ſoli relicta, fœtum violenter ennitente, funiculus umbilicalis pondere cadentis fœtus dilacerari poteſt.

§. XIV.

Licet recens natorum ſuffocatio, ob fabricam diverſam, tardius quam in adultis contingat, tamen eorum doloſa, culpoſa, aut caſu facta ſuffocatio contingere poteſt, cujus ſigna vide capite ſequenti.

§. XV.

Suffocatione modo natus interrimitur, ſi ſub ipſo ex utero egreſſu, antefactam reſpirationem in corpus fluidum præcipitatur, vel ſi poſt illam peractam aeris in pulmones acceſſus inhibetur, v. g. calcitris, aliisque corporibus ori ac naribus diutius incumbentibus, vel appreſſis, violenta ſtrangulatione manu vel laqueo peracta, corporum peregrinorum in fauces intruſione, vapore ſulphureo, vivi in terram defoſſione,

*) Recens nati præcipitationem in cloacam megendi, atque alvum deponendi ſtimulo puerperæ excuſare ſolent, quod non omnino impoſſibile.

§. XVI.

Prætet modos adultis communes enecari adhuc infantes ſolent denegato alimento, & expoſitione aeri frigido, qui ultimi caſus difficulter ſatis, aut vix dignoſci valent.

CAPVT VIII.

DE SVFFOCATIS, STRANGVLATIS, SVBMERSSIS, FVLMINE TACTIS.

§. I.

Quidquid reſpirationem in animalibus natis tollit, id etiam, ut pereant, efficit, quod vel a *morbo* v. g. angina vel *caſu* v. g. a corpore ſolido peregrino in laryngem illapſſo, vel ibi nato, a vaporibus ſulphureis, ſalinis, ſtipticis, muſti fermentantis, prunarum candentium, aeris defectu v. g. ſub antlia pneumatica exhauſta, in aqua, vel alio liquore vel *dolo malo* organa reſpirationis variis modis comprimendo, conſtringendo, obdurando effici poteſt.

§. II.

In ſuffocatis ſequentia deprehenduntur ſigna: facies rubet, ac tumet, externæ corporis partes apoplecticorum ad inſtar hinc inde livent, pulmones cum vaſis ſuis maxime venoſis turgent, ac livent, in ore, faucibus, aſpera arteria, atque bron-

bronchiis ſerum ſpumoſum deprehenditur, dexter cordis ventriculus cum auricula ſua ſanguine turget, & hic etiam in variarum corporis partium v. g. piæ meningis, tunicæ oculorum albugineæ, & jugularibus venis ſtagnat, illasque extendit.

§. III.

In laqueo ſtrangulatis funis veſtigia ſuggilata, rubra, livida, & nigricantia collo impreſſa conſpiciuntur, facies tumet, ac livet, oculi tumidi ſunt, ac rubent, capitis, & piæ meningis venæ turgent, pulmones valde diſtenti, eorumque venæ etiam minimæ multo ſanguine infarctæ ſunt, ſerum ſpumoſum in ore, arteria aſpera, atque bronchiis deprehenditur, involuntaria lotii, & fæcum alvinarum excretio ipſis accidere ſolet.

§. IV.

Laqueo ſuſpenſus ſignis his abſentibus potuis prius jam interremptus, aut mortuus fuiſſe; ita etiam ſi in aquis quidam reperiatur mortuus, videndum an mors ſubmerſſioni adſcribenda ſit, an vero enecatus antea, aquæ demum fuerit immiſſus; attamen probe notandum ſæpe ſeſe in aquam præcipitantes a palis & lapidibus graviter lædi, ut ergo læſio in ſubmerſſis conſpicua, etiam ad lethalitatem abſolutam ſufficiens in alium non derivetur.

§. V.

In Submerſſis præter communia ſuffocatorum ſigna, diaphragma depreſſum, abdomen tumidum, ſpectata præprimis longitudine temporis, quo ſubmerſſus perſtitit, inveniri ſolet.

*) Ob denegatum aeris in organa reſpiratoria acceſſum, non autem ab hauſta aqua, ſubmerſi perire ſtatuuntur; vix enim portio quædam aquæ pulmones ingreſſa deprehenſa fuit.

§. VI.

Plura ſubmerſſorum ut & ſuffocatorum aliorum exempla præſto ſunt. *Aa*) quibus evincitur, eos, ellapſis etiam nonnullis horis, arte adhibita in vitam iterum revocatos fuiſſe (hoc artis beneficium præprimis ſperare poſſent ii, quibus forte foramen ovale omnino clauſum non eſſet: omnis igitur cura, ſi id tempeſtive fieri poſſit, in iis excitandis, ob irritabilitatem in apparenter mortuis diu ſatis ſuperſtitem, adhibenda eſt; huc corporis inverſſio, valentior, diuturnior agitatio (ut aqua in ventriculo forte contenta effluat) venæ ſectiones, aeris in pulmones, protracta inſuper lingua, ut epiglottis hoc modo elevetur, ſæpius repetitæ inflationes, motus partium pectoralium

Aa) Franc. Xaver. Scheigl M. D. Vien. in Diſſertat. inaugur. de auxiliis ad vitam in viſo mortuo reſtaurandam.

ralium, & abdominalium moderatus, atque extremitatum frictiones, corpore in loco moderate calido v. g. in lecto aut in arena, aut in cineribus calidis poſito, irritatio narium per vapores acriores, acria ſternutatoria, uvulæ per plumulam, fumus tabaci per machinam inſtar cliſmatis ano injectus pertinet.

§. VII.

Fulmine tacti dicuntur, qui noxam a fulmine incurrerunt: varios enim morbos tam internos, quam externos a fulmine cauſatos fuiſſe, imo viſcera varia corrupta, abſumpta, nullo, vel haud notabili exterius apparente vitio, alios auditu, loquella, viſu privatos fuiſſe, paralyſi totali vel partiali affectos, uſu rationis privatos, apoplexia, gangræna, alios ſuffocatione a fulmine immediate vel a relictis halitibus ſuffocantibus interfectos fuiſſe, experientia docuit; non deſunt tamen caſus effectus ſalutaris, rebellium nempe morborum caſu curatio.

*) Fulmen conſtituentes particulas maxima gaudere & ſubtilitate, & activitate, phyſicis notum eſt, ac effectus mirifici, quos in omnis generis corpora exercet, abunde teſtantur, intactis nimirum involucris vinum in doliis corrumpit; gladium in vagina liquefacit; veſtium colores immutat absque hominis læſione, retia ſub aquis cremat, in eadem arbore quod aridiſſimum eſt

 urit,

urit, quod ſolidiſſimum terrebrat, ſæpius nonniſi medullam interiorem corrumpit. *Bb*) In cortina (quam in infima parte altaris ponere, & *antipendium* vocare ſolent) bombyce argentoque intertextoque parata, argentum bombice intacta plenarie ex dimidia cortinæ parte, altera illæſa manente a fulmine conſumptum fuiſſe in templo Sancti Ignatii Neo Pragæ, præter mirabilia plura, Rhetoricæ operam navans expertus ſum.

§. VIII.

In fulmine tactis poſt mortem quandoque obſervantur maculæ rubræ, ſtriis lividis, aut nigricantibus diſtinctæ, & in quibusdam ſanguinis ſtillicidium, quæ ſigna, abſentibus ſignis alterius lethalitatis, & prægreſſa tempeſtate procelloſa, præcipue ſi ſimul effectus fulminis in metalla, quæ ſecum homo habet, odor gravis ſulphureus, quem læſæ partes ſervant, concurrat, mortem ex fulmine contractam fuiſſe indicant.

§. IX.

Fulmine tactos, laqueo ſuſpenſos, carbonum, muſti fermentantis, vel ſulfuris vaporibus præfocatos, conſimili fere ratione (quam de ſubmerſis attuli) citaque in aerem liberum protractione, quandoque excitari poſſe, notum eſt.

*) Cum

Bb) Vide Iren. Vehr. Diſſ. de Aſtroboliſmo.

*) Cum experientia docuerit illos, qui aere fixato periverunt, ſimul privari omni irritabilitate, patet, quod eorum reſuſcitatio difficillima ſit, ſi non omnino impoſſibilis.

*) An hominem vitæ adhuc reſtituendum ex ignavia, aut malo dicere, inhumanitate barbara ſuæ ſorti relinquere non mereretur judicis attentionem?

CAPVT VIII.

DE REIS IN CARCERIBVS DETENTIS, ET CONDEMNATIS AD LABORES PVBLICOS.

§. I.

Si inquiſitus in carcere detineatur, aut in pœnam ad temporarios, vel perpetuos carceres condemnatus ſit, ſemper eo reſpiciendum eſt, ne carcer frigore, ſqualore, humiditate, effluviorum pravitate, aliave ſanitati inimica conditione noceat, nec in nocivo corporis ſitu carceri incluſus detinendus eſt, nec compedibus ac catenis, juſto arctius cum ſanitatis ac vitæ periculo, conſtringendus, quin potius ejus querelæ de hac injuria audiendæ, ac, ſi opus fuerit, a medicis inveſtigandæ ſunt, ne miſer forte vel in carcere intereat, vel exantlata carceris pœna, ſanitate privatus,

tus, victum laboribus querendi inhabilis, ac reipublicæ oneroſus reddatur.

*) Caſum inquiſiti, ad prætoris juſſum catena ferrea majori circa hypochondria durius conſtricti, atque ad quærelas ideo jactatas, haut relaxati, plevritide correpti; atque demortui. Ioan. Bohnius retulit. *Bb*)

§. II

Incarceratus morbo correptus in tali cuſtodia detinendus eſt, quæ morbum non ſuſtinet, vel auget, ſed potius cum diæta recte conſtituta, præſcriptisque convenientibus pharmacis eo collimet, ut æger cum valetudine ſecunda quantocius in gratiam redire poſſit.

§. III.

Licet carceribus incluſorum alimenta ut plurimum non niſi parca ſint, & quandoque ſolo pane & aqua abſolvantur, eo tamen, ut ille ex farina bonæ notæ, probe coctus ſit, tam a judice, quam medico, cujus curæ in carceribus detenti concrediti ſunt, reſpiciendum eſt, ne mala, corruptaque alimenta, miſerorum valetudini noceant.

§. IV.

Si rei ad labores publicos aliquamdiu, vel per totam vitam condemnantur, labores hi non ni-

Bb) In tr. de Offic. medici forenſis pr. II. c. IV. §. DCV.

nimii, ſed cujuslibet viribus proportionati ſint, oportet.

§. V.

Quæ de pœnis corporum afflictivis Part. II. Capit. II. attuli, eademquoque de ultimo ſupplicio valent, ubi maxime attendendum, ne gravidæ eodem afficiantur: nulla enim eſt hoc in paſſu judicis in fœtum poteſtas, talem infelicem caſum Riolanus retulit. *Cc)*

APPENDIX
IVRISPRVDENTIA MEDICO-MILITARIS

CAPVT I.

DE IVRE MEDICO-MILITARI.

§. I.

Quæſtiones præcepta, factaque militum concernentes, quorum veritas ex principiis phyſico medicis eruenda eſt, *Iurisprudentiam me-*

Cc) Antropologiæ L. VI. C. I.

medico-militarem ſeu *Ius medicum militare* dictum conſtituunt; milites vero partim jure communi, partim proprio regi notum eſt.

§. II.

Quæſtionum medico militarium dijudicationes, ab artis peritis medicis, atque chirurgis caſtrenſibus tantum fieri debere, liquet, in rebus tamen dubiis majoris momenti e. g. criminibus capitalibus ad principia phyſico-medica reſpectum habentibus: ut in juſtitiæ adminiſtratione nullus committatur error, deciſiones a collegiis medicorum expetendæ ſunt.

CAPVT II.

DE IVSTIS MISSIONVM CAVSIS ET A MILITIA EXCVSANTIBVS.

§. I.

In delectu militum præter *magnitudinem* v. g. pro cataphracto (vulgo Curaſier) 5 pedum & 5 policum; dimacho (vulgo Dragoner) 5 pedum & a 3 ad 4 polices; ſcolpetario 5 pedum 3 policum; *ætatem* a 17*mo* ad 40*mum* & pro vectura ad 50*mum* annum requiſitam, ſanitas corporis & mentis attendenda; Omnis igitur ſtatus naturalis vel morboſus, officiis militaribus impedimenta inſanabilia ponens, uti: corporis imbecillitas, monſtroſa & vitioſa corporis conformatio

e. g.

e. g. gibboſitas, pedum incurvatio, rachitis inveterata, claudicatio &c. a militiæ ſacramento abſolvit.

§. II.

Morbi interni a militia excuſantes vel mentis actiones, vel motus voluntarios perpetuo, aut certo tempore tantum impeditos, depravatos, aut vires corporis infringentes vel plane deſtruentes reſpiciunt; quem in cenſum veniunt: ſurditas, cæcitas, ophtalmia habitualis, aphonia, inveterati articulorum morbi, convulſiones, epilepſia, catalepſis, lypothimia ſæpius recurrens, vertigo inveterata, aſthma chronicum, cordis palpitatio chronica, affectus ſoporoſi chronici, paralytici, apoplectici, mania longiora etiam intervalla habens, melancholia, viſcerum læſiones, pthyſis pulmonalis, febris hectica, variæ hydropis ſpecies, ſanguinis & ſeri profluvia præternaturalia atque habitualia, lienteria, fluor hepaticus, paſſio cæliaca, diabetes, nephritis calculoſa, calcus veſicæ &c. morbo autem in integrum curato impedimentum ceſſat.

*) Cavendum vero ne per morbos fictos decipiatur medicus, & ne vere præſentes ſicco pede tranſeat, atque expenſarum fruſtra adhibitarum cauſa ſit, excipiendi tamen ſunt morbi interni in ſenſus non cadentes v. g. epilepſia.

§. III.

§. III.

Ad vitia externa, quæ militiæ nomen dare prohibent, referuntur ulcera fiſtuloſa, cancroſa, remediis chirurgicis haud obedientia, malum venereum completum, oſſa fracta male curata, luxationes neglectæ, repoſitionem non amplius admittentes, & præprimis herniæ, exantlandis tam diris laboribus maximum ponentes impedimentum, imo vitæ periculum.

§. IV.

Si ad militiam conſcriptus, ob evulſionem dentium, vel reſectionem unius, alteriusve digiti, aut alio dolo, ſe ipſum inhabilem reddere conatus ſit, rite examinandus, & viſo reperto an pro milite perinde omnino ineptus evaſerit, apponendum eſt: cum ſe ipſum inhabilem reddentem in loco, ubi deliquerat, in ſuggeſto (vulgo Bühne) exponi, demum ſpatio decem annorum ad labores cunicularios (Schanzarbeit) condemnari leges jubeant. *Dd*)

§. V.

Omnes tam mentis, quam corporis interni & externi morbi a militia excuſantes §pho 2do & 3tio recenſiti, iisdem ſub conditionibus præſentes, juſtæ miſſionum cauſæ ſunt; majorem tamen

Dd) Laut Reſcript von 21 Febrnarii & Intimat. 1 Martii 1756.

men hic attentionem ſenium meretur; etenim ſi miles ſenio decrepito eo uſque appropinquaverit, ut vel mentis vel corporis, aut utriusque vires fractæ, ad exantlandos militiæ labores non amplius ſufficiant, militiæ ſacramento ſolvi, ſumptibusque publicis ali, utique meruit; ſenium vero, ut jam monui, non ex annorum numero, ſed virium ratione æſtimandum eſt.

*) Herniæ equitibus ſat familiares brachierio coercendæ, ſufficientem miſſionis cauſam vix ſubminiſtrant.

CAPVT XII.

DE MILITVM IMPEDIMENTIS TEMPORARIIS.

§. I.

Cum ad labores militares ſubeundos, exantlandosque virium integritas requiratur, quæ variis morbis tam *acutis*, quam *chronicis*, hisque continuis, aut periodicis labefactari valeat, hinc milites iis correpti ab officiis militaribus illico eximuntur, & ad noſocomium deſtinatum deferuntur, ibique ad plenariam morbi profligationem, viriumque reſtitutionem detinentur, ne debiles adhuc ad labores militares accincti recidivam, aut morbum alium primario, ob vires exhauſtas, deteriorem experiantur.

*) Non raro tamen evenit, ut quidam Noſocomium ex quacunque ratione nimis amantes, eidem valedicere recuſent, valetudinarios ſe adhuc mentientes, hi tamen medicamentis maxime nauſeoſis quam optime inde pelluntur.

§. II.

Miles ægrotans per chyrurgum, cujus curæ hoc eſt, præfectis ſuis ſtatim, antequam morbus exaſperetur, denuntietur, ut tempeſtiva ejus cura haberi poſſit: etenim leviores ſæpe morbi ab initio neglecti, aut male tractati, altiores radices agunt, & curatu difficiliores, ſumptuoſiores, imo ſæpe incurabiles evadunt, exemplo eſſe poteſt gonorrhæa maligna, quæ recens bene tractata citam eamque perfectam curationem recipit, dum longe majores ſumptus, major opera, ſi inveterata ſit, vel in luem abiverit, impendi debeat, curatione inſuper per quam dificile ex votis cedente.

CAPVT XV.

DE IVSTIS QVIBVSDAM EXCVSATIONIBVS CIRCA MILITVM OFFICIA.

§. I.

Cum morbi nonnulli ſubito ingruere, & quidam cum mentis eclypſi valeant v. g. lypothimia,

thimia, mania, melancholia, catalepſis, convulſiones, affectus ſoporoſi, quin & febres accutæ interdum ſtatim cum delirio conjunctæ ſunt; ſi igitur miles in officio conſtitutus, tali morbo corripitur, illique ſuſtinendo inneptus redditur, pœnæ loco auxilium illi ferendum eſt. Hinc an miles in excubiis agendis ſomno correptus a præfecto vigilias circumeunte mox trucidandus ſit, juſto controverti poteſt.

§. II.

Excuſat quidem in foro civili ebrietas circa crimen commiſſum, licet non plenarie, minus tamen excuſat in foro militari, cum in hoc foro ipſa jam ebrietas crimen ſit non impune perpetrandum, hoc tamen non obſtante, ſi miles ebrius, non tamen ebrietati ex mala conſuetudine deditus, mandatum acceptum non exſecutus fuerit, aut tum, aut ira accenſus, cæteroquin non rixoſus, plane ſi injuria accepta in iram concitatus fuerit, aut alio animi affectu valido maxime improviſo agitatus, prohibita patraverit, præcepti neglecti, aut facti perpetrati plenarie reus dici nequit, cum ebrietas etiam ut morbi, rationis uſum, & facti deliberationem, atque muneris exſequendi capacitatem excludat.

CAPVT V.

DE POENIS CORPORVM AFFLICTIVIS, ATQVE VLTIMO SVPPLICIO.

§. I.

In pœnis corporum afflictivis militaribus, cujuscunque demum indolis ſint (leges enim hæ ſingulares quosdam puniendi modos ſuppeditant) ratio habenda eſt, ne ſanitas magnum inde patiatur detrimentum, hinc quæ de carceris, alimenti, laborumque publicorum indole in Iurisprudentia medico-criminali Capite VIII. dicta ſunt, eadem quoque huc transferri merentur; maxime tamen, ſi quis fuſte, virgis, aut loris caſtigandus ſit, talis pœnæ modus, ut decernatur, videndum, ne caſtigatus gravium morborum vel vitæ periculum incurrat, niſi ob crimen majus ſtudio ſorti tradatur delinquens.

*) Si quis autem pœna afficiendus morbo detineatur, illa, donec ſanitati perfectæ reſtitutus fuerit, differenda eſt.

§. II.

Cauſæ, quæ ſupplicium differrunt, eædem ſunt cum cauſis pœnas corporum afflictivas differentibus, ni forte exceperis tempus pro peragenda pœnitentia expetitum.

§. III.

§. III.

Prout morbi rationem adimentes v. g. major melancholiæ gradus, delirium acutum, mania, hominem criminis iis præſentibus perpetrati reum non faciunt: quoniam liberam actionem impediunt, ita etiam eundem poſt damnum datum accedentes, ultimo ſupplicio affici non admittunt.

DE IVRE VETERINARIO-MEDICO.

CAPVT I.

DE MORBIS AC MORTE PECVDVM DIIVDICANDIS.

§. I.

Scientia quæ circa morbos quadrupedum (quæ gregatim paſcuntur) & ſpeciatim equorum, boum, ovium, ſuum, venditionem eorum irritam, doloſam, damnoſam, facientes dijudicandos verſatur. *Ius Veterinario-medicum* conſtituit, objectum hoc a medicinæ forenſis ſcriptoribus hactenus ut plurimum neglectum fuerat: cum cauſæ hæ ſecundum empyricorum, lanionum, fabrorum ferariorum, equiſonum, bubulcorum,

opilionum, carnificum, horumque famulorum effata, a judicibus plerumque deciſæ fuerunt.

II.

Hominum atque brutorum morbis tam acutis, quam chronicis, ut & ſporadicis, atque communibus, magna fere nonniſi denominationibus differens ſimilitudo, cæteris paribus, tam in dijudicatione, quam in curatione intercedit; quemadmodum enim inter homines morbi epidemici benigni, vel maligni, quandoque longe lateque graſſantur, ita inter bruta morbi communes, haud raro maligni atque contagioſi ſtrages ſuas, non ſine magno reipublicæ detrimento, brevius vel longius exercent; ad morbos vero tam dijudicandos; quam profligandos, mortisque cauſas detegendas, notitia phyſiologiæ, pathologiæ, diætetices, materiæ medicæ, pharmaciæ, chyrurgiæ atque anatomiæ requiritur, his igitur diſciplinis non imbutus in dijudicandis morbis pecorum deficiat, oportet.

*) Pharmaca illa, quibus tanquam *Panacea univerſali* ut plurimum indocti veterinarii uti ſolent, formulis olim ex inepta ingredientium faragine concinnatis continentur, ac indiſcriminatim hæc ubique; ac ſi omnes morbi ab eadem ortum ſumerent cauſa plerumque in pecorum interitum (plura enim ſimilibus non adhibitis ſolo naturæ auxilio ſervari potuiſſent) porrigi, affirmari

mari poteſt, talia enim remedia plerumque calefacientia ſunt, & ſi in febribus inflammatoriis exhibeantur, quid præter gangrænam & ſphacellum, conſequenter certam mortem, ab illis exſpectandum?

§. III.

Jam vero ſapientiſſimo *CLEMENTISSIMAE IMPERATRICIS NOSTRAE MARIAE THERESIAE* juſſu inſtitutum eſt, ut, ſi de brutorum morbis, aut morte ambigatur, ubi nempe plura pecora morbis affliguntur, & ſymptomata morbos contagioſos eſſe doceant, illico aptum his porrigatur remedium, & ſi unum alterumve interierit, in præſentia medici & chyrurgi ſecetur, ut natura morbi, mortisque pateat *Ee*)

§. IV.

Phyſici igitur eſt, ut exactam anatomiæ comparative notitiam acquirat, & terminis veterinariorum technicis, in quavis fere provincia, & in quovis circulo variantibus rite imbuatur, veram morbi indolem ex ſymptomatibus bruti ægrotantis, cauſisque prægreſſis, inſpectione cadaverum (quorum ſectionem imperet, ac dirigat) juvantium, nocentiumque ponderatione probe

 eru-

Ee) Miſſiv. 19. Decembr. 1763 & 7 Februar. 1765.

ejuat; atque rationalem medendi methodum præcipiat; In viſo reperto remedia adhibita, eorum effectus addito numero pecorum (quæ interierunt) ſedulo annotet *Ff*)

§. V.

Maximam attentionem merentur morbi contagioſi animalium, præprimis boum, ſummum ſæpe detrimentum reipublicæ adferrentes; Sunt vero morbi contagioſi alii quibus bruta infecta non tantum gregem, cum quo ſunt, inficiunt, ſed etiam vicinum aerem contagioſum reddunt, ut inde longe, lateque contagium propagari, morbumque eundem graſſari contingat; Alii quibus animal infectnm illa tantum ſui generis inficere valet, cum quibus gregem conſtituit.

§. VI.

Morbi contagioſi propagari videntur per vapores, ſive materiam perſpirabilem, de corpore ægri emanantem, venenata qualitate imbutam, quæ ab alio cum aere in pulmones attracta, vel per vaſa inhalantia ejus corpus ingreſſa, ſanguinem inficiens ac immutans eundem in ſpecie morbum producere valet.

*) No-

Ff) Miſſiv. 8 Iunii 1750.

*) Notandum tamen eſt vix tale contagium graſſari, quo indiſcriminatim omnia bruta inficiantur; plerumque enim, ut ferme ſemper, determinata tantum quædam ſpecies his obnoxia evadit.

§. VII.

Morbi a contagio maligno oborti, ut plurimum duplicis generis aſſeruntur, alii qui alvi obſtructionem, alii qui diarrhæam validam, fœtidam, quandoque cruentam conjunctam habent, non deſunt tamen, qui ſtatuant, & juſte quidem, eundem præciſe morbum cum alterutro horum ſymptomatum, aut cum utroque ſucceſſive ſtipari; ſtatuunt febrem adeſſe validam in primo inflammatoriam, in altero putridam, quam, ex auricularum frigore, corporis tremore, ſiti, indeque pendente magna potus ingurgitatione, cognoſcunt, cum vero hæc omnia citra contagium adeſſe poſſint, ſigna, quæ contagii præſentiam doceant, ſedulo perpendenda ſunt.

§. VIII.

Contagio affectum eſſe animal docent oculi turbidi, materia viſcoſa demum referti, aures frigidæ, pendentes, os & fauces muco plena, & vel adeſt alvi obſtructio vel diarrhæa ante deſcrip-

ta, poſt quartam, aut quintam diem, ſi non prius, animal penitus a cibo abſtinet, ceſſat ruminatio in ruminantibus, & octava aut nona die interit, ſerius quandoque, imo longe citius etiam, pro diverſitate nempe individui, ac contagii venenati natura; Quæ vero evaſura ſunt animalia ruminare demum poſt aliquot dies iterum incipiunt.

Morbo contagioſo obiiſſe animal potiſſimum docet veſicula fellea ſolito longe major, quæ etiam obſervabatur in eo, quod diſpoſitionem ad contigium proxime ſuſcipiendum geſſerat *Gg*) citra hoc ſymptoma tamen contagio animal perire potuit, exhibente id hiſtoria inoculationis per Tode.

§. IX.

Cum vero infirma, imbecillia, & ægrótantia animalia contagio recipiendo aptiora eſſe ratio ſuadeat, hinc ſanitati eorum pro poſſibili ſemper proſpicere præcipiunt veterinarii, atque œconomi, in hunc finem laudatur ab iis cibus & potus nec qualitate, nec quantitate peccans, mundities moderatus corporis motus; quies &c. itaque exhibeatur potus, quantum poſſibile ex aqua pura,

Gg) Berliner Beyträge zur Landwirthſchafts Wiſſenſchaft, vierten Bandes, viertes Stück. Fol. 176.

pura, curſu exercitata, ejusque ſufficiens porrigatur quantitas diverſa pro diverſitate circumſtantiarum; æſtate cum gramen recens in cibum ſumant animalia, quod largam ſat aquæ copiam, ad exſtinquendam ſitim continet, bis potum intra diem animali porrigere ſufficiet, contrariam ob cauſam hyeme ter ſaltem exhibere potum neceſſe eſt, quod mane hora octava, hora duodecima meridiana, & quinta veſpertina commode fieri poterit: parcior enim potus aquæ multa incomoda poſt ſe trahit, cum chylus non ſufficienter dilluatur, craſſus fiat, hinc obſtructionibus, & demum inflammationi ac putredini anſam præbeat, & per potum copioſum exhibitum tempore graſſantis contagii, bruta ſana in eodem ſtabulo cum morboſis incluſa immunia manſiſſe notum eſt. *Hh*) Quantam enim vim aqua ad humores acres diluendos poſſideat, quis ignorat?

Multo magis nocet potus aquæ impuræ, putridæ, inſectis ſcatentis; quales ſunt aquæ paludoſæ, ſtagnantes, hæ initia ſaltem putredinis poſſident, hinc fermentum, ſi ita loqui licet, præbent, quo univerſus ſanguis in corruptionem ducatur.

§. X.

Pabulum ex granis cerealibus immaturis, ſemicorruptis, talique gramine exhibitum, nunc dictis

---

Hh) L. C. Fol. 188.

dictis ſimilia producit mala, inde enim morbos putridos, ſenſim contagioſos factos ortum duxiſſe exempla non deſunt, ex cauſa hac triſtes, pernicioſique caſus tempore belli quam maxime obſervari ſolent. Ita & nocent paſcua paludoſa, imo ſi animalia ad paſcua ducantur tempore nebuloſo, aut matutino, antequam ros in gramine præſens calore ſolis conſumatur, ſunt, qui hoc noxium fore aſſerant.

§. XI.

Nec munditiеs in conſervanda ſanitate ultimum meretur locum, multo citius enim infici animalia ſordibus non purgata legitur, ita enim obſtructis vaſis exhalantibus natura ſe liberare non poteſt a nocivo principio, quod alias per perſpirationem expellit, ſed tale in corpore relictum continuo majorem acquirit acrimoniam, ita ut demum plane contagioſam, malignamque indolem induere aptum ſit, ad purificandum vero corpus, inter alia, ſæpius merſſare animalia convenit. Nec neceſſaria ſtabuli purificatio negligenda eſt, nam fæcibus ibi diutius relictis putreſcentibus, talibus effluviis totum ſtabulum impleri neceſſe eſt, hæc effluvia per vaſa inhalantia corpus intrare, & ita fermentum putridum ſanguini communicari, hunc ab eo corrumpi poſſe, ratio dictat, ad quod impediendum multum confert

fert

fert ſtabuli in loco elatiori potius, quam in decliviori collocatio, quod aer melius perflare, & ita exhalationes nocivas aufferre valet.

§. XII.

Dum vero jam contagium graſſari incipit, illico animalia ſana a morboſis pro poſſibili ſeparanda ſunt: ſi contagium non coerceatur; imo ultroneæ propagetur, omnis cum loco infecto communicatio ſolicite intercipienda eſt, peniculi ſtraminei (Strohwiſch) in via ponendi ad peregrinantes de periculo admonendum, omne pecudum commercium per nundinas peragi ſolitum & ibi, & in circumferentia trium miliarium inhibendum eſt, notitiaque de contagio vicinis facienda, *Ii*) imo nec homines, animalium infectorum curam habentes, illisque neceſſaria adminiſtrantes, in loca nec dum contagio infecta admittendi ſunt, cum per veſtimenta, præcipue ex lana confecta, contagium alio deferri, & ita morbus propagari poſſit; idem per canes hinc inde currentes fieri valet, ad quod prævertendum illi catenæ alligandi, & circumeuntes ſclopeto trajiciendi ſunt.

Si contagium non procul ab hinc graſſetur, melius animalia ſana in ſtabulo recluſa detinentur, præprimis ſi aer ex plaga infecta ſpiret.

§. XIII.

Ii) Miſſiv. 31. Iulii 1749. & 19. Aug. 1773.

§. XIII.

Cadavera contagio interfectorum una cum pelle, calce viva conſperſa, ad altitudinem ſex vel ſeptem pedum ſine mora defodienda, ignisque deſuper exſtruendus eſt, ad quod ſeligatur inſuper locus, in quem animalibus acceſſus non datur, vel fruticibus ſpinoſis muniatur, ad arcendum inde canes, aut ſues, cadavera hæc ſecus forte effodientes, atque hoc modo contagium ultro propagantes, ſi tamen excoriatio licita fuerit, bene coria a carne repurganda, & vel in aere libero, extra urbem aut pagum, exſiccanda, vel coriariis, qui ea lixivio illico imponant, ellaboranda tradantur. *Kk*)

§. XIV.

Tempore contagii non licet carnes ægrotantis pecudis ſine prævia ante mactationem viſitatione in eſum divendere, ſub pœna laboris publici quatuor ſeptimanarum in domo caſtigatoria peragendi. *Ll*) Quam primum autem animal cibum vitat, triſtitia inſolita affectum eſt, vel ſymptomata ante recenſita, aliisque communia præſto ſunt, jam morbum in vado eſſe, eumque hominibus ita conciliari poſſe probabile eſt.

*) Attamen

Kk) Reſcript 4 & intimat. 7. Septemb. 1772.
Ll) Reſcript 31. Decembris 1772.

*) Attamen in lue ovium, boum, ſuum, aliorumque animalium, carnes ſanorum, antequam in ipſo animali morbus fuerit declaratus, tuto comedi poſſe experientia docuit.

§. XV.

Sapientiſſime etiam ne contagium incipiens celetur, mulcta viginti imperialium cautum eſt. *Mm*) incipienti enim longe facilius, quam inveterato jam contagio obex poni poteſt; ſedulo hinc locus originis contagii inveſtigandus eſt, & dum tale contagium in vicinis regionibus, unde animalia in noſtros uſus cedentia advehuntur, graſſatur, ſine ſanitatis atteſtato in regiones noſtras admittenda animalia non ſunt, & ſi quid in via vendatur, in ſanitatis atteſtato, ne fraus ſubverſetur, notetur. *Nn*)

§. XVI.

Si unquam, tunc præprimis tempore graſſantis contagii, cura animalium ſanorum adhuc habenda eſt, ne eodem morbo corripiantur, itaque præter illa, paulo ante ad ſanitatem conſervandam allata, confert portio quædam ſalis communis ſæpius exhibita, quo & mucus viſcidus incidatur, & putredini reſiſtatur; Venæ ſectio inſtituta multum

---

Mm) Miſſiv 30. Auguſt. 1754.
Nn) Miſſiv 14. Decembris 1751.

tum prodeſt; cum vero contagium plerumque naturæ inflammatoriæ, aut putridæ eſſe ſoleat, remedia interna præſervativa talia ſeligenda ſunt, quæ utrique ſcopo ſatisfaciant, hæc inter primas merentur, nitrum, acetum, præcipue vini, camphora, hæc præſtantiſſima deprædicantur remedia, tam præſervativa, quam curativa, ita ut his ſolis contagium domari poſſe aſſeratur.

*) Si nitrum præ manibus non habeatur, non in conſultum erit pulverem pyrium in aceto ſolvere, & exhibere: cum ejus maximam partem nitrum conſtituat.

§. XVII.

Inter omnia hactenus tentata ſequens præſtantiſſimum ſe exhibuit antidotum

℞ Nitri puri Libr. *ij.*
Pulv. *C. C.* uſti Libr. *j ß.*
Camphoræ Vnc. *iv.*
M. f. Pulv. Dt. pro doſi Vnc. *ß.*

mane ſumenda in oxicrati Libr. *j.* deſuper animal arceatur a cibo horis aliquot; hæc doſis etiam pro neceſſitate veſperi exhiberi poteſt.

§. XVIII.

Nec fumigationis in ſtabulo obliviſcendum, quam plurimi per aromatica graveolentia, ut baccas lauri, frondes Sabinæ, pulverem pyrium, ſulphur

phur &c. peragere ſolent, optima tamen inventa eſt, quæ cum aceto, quod ferro aut lapidi candenti inſpergitur, fit: quoniam naturæ contagii directe oppoſita eſt.

*) Virtutem ceparum ex collis animalium, & ſtabuli parietibus ſuſpenſarum vi valida extollunt alii. *Oo*)

§. XIX.

Quamprimum vero animal jam morbo corripi obſervatur, videndum ut ſaltem bis de die os & fauces a muco magna copia ibi præſente repurgentur per lintea, aut pannos ex lana confectos, aceto, in quo nitrum ſolutum ſit, imbutos, cui etiam faſciculus ſtramineus coſtæ balenæ (Fiſchbein) alligatus inſervire poteſt.

§. XX.

Decurrente morbo evacuationes neceſſarias inſtituendas præcipiunt veterinarii, ſic Radix aſari ad drachmas quatuor in cereviſia tepida, & butyro exhibita vehemens alvi profluvium produxiſſe viſa eſt, omnem penitus morbum tollens. Methodum hanc medendi confirmare videtur felix ut plurimum in epidemiis per evacuantia cura, & infelix evacuationis in principio negle-

Oo) Vide Berliner Beytrage zur Landwirthsſchaftswiſſenſchaft, vierten Bandes ſiebendes Stück. Fol. 340.

glectæ eventus: nam ſi ſæpe evacuatio morbum non plenario tollat, dum nempe cauſa ejus non jam in primis viis ſolum hæret, ſed ſanguini communicata eſt, tum ſaltem magnam moderationem, morbique benigniorem decurſum procurat, quoniam impedit, ne putredo ulterior ſanguini communicetur, maxime enim bilem peccantem in contagio obſervatam fuiſſe, ita ut ex magnitudine præternaturali veſiculæ felleæ, animal contagio obiiſſe determinetur, ſupra inſinuavi, quæ ita optime, pro parte ſaltem, de corpore eliminari poteſt.

§. XXI.

Exhibita radice aſari porrigunt Unc ß Nitri, & largam aquæ copiam, cui portio quædam farinæ addenda erit. A purgante ab initio morbi, ubi animal nec dum plenarie ruminare deſierit, non ubi jam cum morte luctatur exhibito, optimus ſemper obſervatus fuit effectus, morbo enim provecto, inflammatione præſente, gangræna advocaretur, & ſanitatis loco mors procuraretur.

XXII.

Si morbus contagioſus obſtructionem junctam habeat, purgans illico exhibeatur quod ſimul tale ſit, ut naturæ morbi adverſetur, ſequens egregium eſſe poteſt:

℞. Pulv. Rad. Rhebar. Monachor.
Nitri puri *aa* Unc. *ß*
M, F. Pulv. Dt. cum Olei Olivar. vel Lini Unc. *v*.

Si vero nil horum præ manibus habeatur, ſapo niger in aqua aut lacte ſolutus uſui eſſe poteſt.

§. XXIII.

Sed etiam in morbis contagioſis malignis, cum dyſſenteria hac fœtida conjunctis Rhebarbarum illud ad Unc. *ß* exhibitum ſummopere laudatur; id enim vitioſos humores evacuat, inflammationi, putredini reſiſtit, ac inteſtina roborandi vim poſſidet.

§. XXIV.

Exhibito purgante propinant alia inflammationi & putredini reſiſtentia, in hunc finem optime meruerunt antea allata, nempe nitrum, acetum, camphora, aut ſequens remedium valde proficuum parari poteſt.

℞. Nitri puri Libr. *iijß*
Cremor. Tartar. Libr. *jß*
Camphoræ Unc. *vj*
M, F, Pulv. Dt. pro doſi Drach. *v.*, deſuper exhibeatur potus ex oxicrato.

§. XXV.

Cum tamen omnibus his licet peractis, attrocitate morbi plurima animalia pereant, hinc analogia ab inoculatione variollarum in homine deducta, quædam Europæ provinciæ, quæ indies hoc malo affliguntur, azillum quæſierunt in ipſa luis inoculatione, nec ſine laudato eventu: cum morbus venturus pluribus ante diebus præſciatur, & per conſequens ei facilius obviam iri poſſit. Summa tamen cautela adhibenda eſt, ne per ipſam inoculationem, a qua omnis ſalus ſperatur, contagium propagetur æque lethale.

§. XXVI.

Morbis contagioſis merito addi poſſe cenſeo rabiem (die Wuth) quæ a morſu animalis rabidi, vel & alia ratione in animalibus ortum ducit, noſcitur: quod triſtitia inſolita afficiatur animal, gregem deſerat, inquietum ſit, oculos fixos habeat, atque os ſpuma viſcida plenum, rabidum evadat id ipſum, convulſiones violentas patiatur, non tantum abhorret aquam, ſed ejus plane aſpectum, ut & aliorum liquorum, ſtante jam rubie proclivitate in morſum valida pollet, & ita morbum eundem aliis animalibus communicare valet; ultima duo ſymptomata plerumque mors excipit.

Remedium contra hunc morbum atrocem ſpecificum, ac optimum laudatur hodie Bellado-

na

na (das Tollkraut) in tempore tamen exhibenda. Animalibus majoribus ut equis, bobus dant aut folia ad Unc. *ß* aut radicem ad Drah. *iij*; ovibus vero, capris, & ſuibus folia ad Drach. *j* radicem ad Gr. *XXXX.* pro doſi ante paſtum, & demum octo horis elapſis primo pabulum exhibetur, atque per triduum porrigere remedium jubent. Werlhof laudat ſequentes Pillulas;

℞. Pulv. Cantharid. Gr. *j*
Mercur. Dulc. Gr. *jß*
Camphoræ Scrup. *ß*
M. F. cum Mucilag. Gum. Tragant. Pill. Nro. *vij.*

De his animalibus majoribus veſperi poſt ſumptum pabulum dantur Nro. *XXX* & minoribus Nro. *vij*, quæ doſis etiam pro homine eſt.

Præſtantiſſimum tamen eſt, ſi fieri poſſit, plagam ſauciatam exſtirpare, aut alio modo effluxum veneni communicati excitare, puta, per ſetacea, per uſtionem, per veſicatoria &c.

CAPVT XI.

DE EVICTIONIS CAVSA AC TEMPORE.

§. I.

Primarius emptionis animalium ſcopus eſt, ut ea in emptoris uſum præfixum cedere poſſint.

quidquid igitur ſcopo huic adverſatur, uti eſt morboſorum animalium doloſa venditio, emptionem irritam facit, legibusque prohibitum eſt.

§. II.

In jumentorum pecudumque venditione, evictionem a venditore præſtandam eſſe, res ipſa poſtulat, pro diverſo vero emptionis ſcopo, diverſa etiam evictionis tempora conſtituenda eſſent; in conſtitutione Haſſiaco-principali animalibus mactationi deſtinatis evictionis tempus (die Wandelzeit) ſpatio trium dierum, in animalibus vero laginationi dicatis, ſpatio trium menſium definiri ſolet, ubi vero jumenta ac pecora non ad veſcendum, ſed ad vehendum, atque agrorum cultus (Zugvieh) vel ad fœturam (Zucht- oder Faſelvieh) vel ad mercaturam (zu dem Handel und Wandel) venduntur, emunturque, intra ſpatium quatuor ſeptimanarum evictionis vel damni præſtandi tempus concluſum eſt; apud nos vero tantum circa equos evictionis terminus ſpatio trium dierum definitur.

§. III.

Cum quidam animalium morbi hujus ſint indolis, ut ſub ſenſus facile non cadant, & ſaltem pro tempore cellari poſſint, hinc ſi emptor rei pecuariæ ſat gnarus non ſit, ut morboſa pro ſanis emere poſſit, judicium artis veterinariæ periti

riti expetat, ita enim omnium optime lites, circa animalium emptionem obvenientes præcaveri poterunt; ſed ſi in animali jam empto morboſa quædam ſymptomata ſe manifeſtaverint v. g. calor febrilis, debilitas, ad labores conſuetos ineptitudo, anorexia, alvi obſtructio, lotii retentio, mictus cruentus, aſthma, tuſſis pertinax, epilepſia, mania, doloris ſigna, emptor hæc, antequam evictionis tempus præterlapſum ſit, & venditori, & judici denuntiet, & artis veterinariæ perito morbi inveſtigationem committat, alias enim, ſi quid ſiniſtri evenerit, damnum in illum redundat.

§. IV.

In morborum dijudicatione eo reſpiciendum eſt, an illi, vel ſaltem inſuperabiles eorum cauſæ venditionis tempore jam adfuerint, aut poſtea demum ſponte, vel emptoris culpa exorti ſint, ut & an medellam perfectam admittant nec ne. Caute tamen hic procedendum; ſunt enim morbi chronici v. g. pthiſis pulmonalis, qui ab initio obſcura, & cognitu difficilima exhibent ſigna & ſenſim aucti nullam curationem admittunt, ut mors citra emptoris culpam ellapſſo evictionis tempore accidat, & tamen cauſæ jam prius præſenti adſcribenda ſit; exceptionem tamen patiuntur aliqui morbi acuti v. g. inflammatorii, maligni, apoplectici, quorum cauſæ poſt

venditionem animalis primo exortæ, intra paucos dies vel horas necant; mortis talis ſubitaneæ cauſæ aperto cadavere inquiri, ac demonſtrari debent.

CAPVT XXI.

DE EQVORVM MORBIS.

§. I.

Etſi morbi acuti in commune graſſantes in equis rarius obſerventur, annis tamen nimium pluvioſis febre catarrhali, indeque orta pthyſi pulmonali corripi, ac interire ſolent, frequentius vero morbi inflammatorii periculoſi hic locum habent v. g. pleuritis, peripneumonia, præcipue ſi equi corpore callenti frigidam largis hauſtibus ingerant aquam, aut ſi ſudantibus frigus externum admittatur; vitia hæc male tractata, exitum ſimilem, ut alia inflammatio habent; cauſæ tales ſectione cognitæ, ex morbi indole, duratione, aliisque connexis an ante venditionem adfuerint nec ne, dijudicandæ ſunt.

§. II

Vitia ſontica equorum venditionem irritam facientia numerantur quinque 1*mo* Abactus (wenn das Pferd geſtohlen worden) 2*do* Aſthma chronicum (Herzſchlägigkeit, Herzſchlächtigkeit) 3*tio* An-

Angina maligna (die Kehlſucht oder Bräune) 4to Pthiſis ſeroſa (der Lungenrotz) 5to læſio aliqua interna a nimiis viribus impenſis oborta. Prima cauſa ad forum criminale pertinet. Lege noſtra ſequentia equorum venditionem concernentia definita ſunt. Mit dem Pferdverkauf iſt aufrecht umzugehen, und anzuzeigen, ob es geſtohlen, herzſchlägig, kählſüchtig, rotzig, oder im Zug zerriſſen, widrigen nach ſolchen eines inner 3 Tagen beſchehener Hervorbrechung und der geſchwornen oder erfahrner Erkanntniß, iſt gegen den Roß das Geld zurück zugeben. *Pp)*

§. III.

Aſthma chronicum (der Dampf, die Dämpfigkeit, Herzſchlächtigkeit, Herzſchlägigkeit, Haarſchlächtigkeit, oder Hartſchlächtigkeit) inſanabile equos viatorios, & vectorios laboribus conſuetis exantlandis ineptos reddit; laborioſa anhelatione, ac morboſo muſculorum abdominalium motu cognoſcitur, reſpirationis organorum vitia ſupponit; ob metum ſuffocationis imminentis animal ſtando quietem capere cogitur, inſpirat antequam exſpiratio peracta fuerit; aliquando tuſſis conjuncta eſt. Curationem ſequentem com-

Pp) Vide Stadtrecht Ioan. Jacob. eques Weingartner fol. 148. H. 13.

mendat Veterinarius: *Qq)* Si febris conjuncta ſit valida, fiat venæ ſectio ad minimum librarum duarum, & ſequens electuarium exhibeatur:

℞. Nitri puri Unc. *ij.*
Mellis q. s. M. f. Electuari. Dividatur in Doſes Nro *iv.* detur omni 3. horio doſis Nro *j.*

Et ſequens applicat Enema:

℞. Rad. Altheæ *M. ij.*
Fl. Chamomil. *M. j.*
Pulv. ſem fœniculi Unc. *ij.*
Coque in Aqu. com menſur. *iij.*
Coll. adde Olei lini Libr. *ß.*
Salis commun. *M. j.*
M. f. enema applicetur.

Abſente febre dari jubet:

℞. Pulv. Baccar. juniperi.
— Rad. gentianæ rubræ *aa* Libr. *ß.*
— — galangæ Unc. *iv.*
Melis q. s. f. Electuari. Dt. magnitudine ovi galinacei minoris pro doſi.

Quæ ſi non proſint, ſuccus cæparum expreſſius cum anatica melis portione mixtus, aut oximel ſquilliticum in potu exhibeatur, cæterum detineatur animal in ſtabulo tepido tectum pannis, reſpectu ſimul habito ad pabulum.

§. IV.

Qq) Theoretiſch-Praktiſcher Unterricht von der Behandlung Kur und Wartung der Pferde und des Hornviehs fol. 198.

§. IV.

Angina (die Kehlſucht oder Bräune) inflammatoria plerumque locum habere ſolet; illa correptum animal difficile reſpirat, caput elevatum tenet, & linguam non nunquam prominutam gerit, cibum ob dolorem, quem in deglutiendo percipit, vitat, potusque illi ſæpe per nares regurgitat, tumor ſaucium quandoque conſpicuus, & febris (quam ex calore præternaturali, ſiti, lingua ſordida, plerumque cærulea, aut nigricante cognoſcunt) conjuncta eſt; morbus hic præprimis cum aphtis ſuibus familiaris, atque pernicioſus eſſe ſolet. Curationem inſtituunt venæ ſectione pro neceſſitate repetita; bis de die injiciunt enema; & nitri puri Unc. *ß* ter de die exhibent; injectiones in os valde proficuas deprædicant.

℞. ſem. lini groſſ. mod. contus. Unc. *j*.
coqu. in aqu. Libr. *ij*.
Collaturæ adde lactis *aa* & fiat injectio ſyringa.

Si tumor externe conſpiciatur, applicant illi cataplaſma emolliens ex herba Malvæ ſem. Lini & Fl. Chamomil, ut f. l. a. cataplaſma, cui quid de oleo lini addi poteſt; ſi tumor puris collecti ſigna externe præſeferat, caute aperiunt, ut exitus puri paretur, quo aperto reliquum naturæ committunt.

§. V.

§. V.

Pthiſis ſeroſa (der Lungenrotz) ex catarrho neglecto chronico, & male judicato ortum ducens, primo tuſſi pertinaci, dein ſaniei acris ac putridæ ex naribus profluvio, & denique calore hectico, atque corporis contabeſcentia ſe prodens, contagioſa eſt, vires prorſus infringit, & denique necat; conſiſtit in acrimonia ſanguini inhærente, & jam partem hanc, jam illam v. g. pulmones, hæpar, &c. petente ac deſtruente.

Equus hoc morbo infectus a reliquis adhuc ſanis illico ſeparandus eſt, laudat Veterinarius *Rr*) ſetacea; fonticulos; & ſequens electuarium:

℞. Nitri Unc. *ij.*
Camphoræ drach *j.*
Mel. q. s. f. Electuar.

Et ℞. Balſam Peruvian.
Tolutan *aa* Unc. *ß.*
Gumi Benzoe.
Stiracis.
Myrrhæ *aa* Unc. *ij.*
Aloes drach. *vj.*
Spirit. vini rectificat Libr. *ij.*
M. f. Balſam.

De hoc Balſamo, & præcedente Electuario accipe *aa. q. p.* M. dt. pro doſi Unc. *ij.* bis de die; præter hæc dentur Oximel ſimpl. Unc. *ij* bis de die.

Item

Rr) l. c. fol. 264.

Item ℞. Raſur. cort. lign. Guajacii.
Saſſafras *aa* Libr. *ß*.
Suc. liquirit Unc. *iv*.
Coque cum aqu. com. menſur. *X*. ad remanent *viij*. ſub finem decoct.
Adde herb. Cicutæ *M. iv*.
Collaturæ adde Vini antimoniat. menſ. *ij*.
Dt. pro doſi Libr. *ij*. ad Libr. *XXX*. aquæ & exhibeatur pro potu.

*) Perire tamen quandoque equos ex pthiſi ſeroſa, quin ejus minima in naribus appareant veſtigia teſtis eſt veterinarius.

§. VI.

In aliis regionibus adhuc maniam numerant inter vitia ſontica, quæ an per terminum im Zug zerriſſen intelligatur, vix probabile eſt; Duas ſpecies mania equorum ſub ſe comprehendit, nimirum: *ſedatam* (den ſtillen Koller) & *furioſam* (den raſenden Koller) ſedata per paroxiſmos accedit, & ſequentibus ſignis ſe manifeſtat: ingruente paroxiſmo ſub ipſo motu animal ſubito ceſſat, caput demittit, ac quatit, toto corpore tremit, & quaſi lapſurum vacillat, finita acceſſione inſtitutum quidem curſum continuat, qui brevi poſt ſimili modo iterum interrumpitur, in paroxiſmo animal irritationem aurium internarum facile fert, nec pabulum avide appetit.

In

In maniæ furioſæ ſpeciem ex pavore vehementi equi generoſi juniores, male tractati quandoque conjiciuntur, quæ poſtea incoercibilem ut plurimum mentis potius, quam corporis morbum conſtituit; in hac enim ſæpe vehementer animal furit, catenas, quibus alligatum eſt, frangit, caput muro, aut alteri corpori duro impingit, varios motus violentos efficit, finitoque paroxiſmo iterum tranquillum eſt, ſed debile, aliquando in ſtabulo tantum maniam ſedatam experitur, dum in labore poſitum, excalefactum, mania furioſa corripitur; morbo provecto ſolet accedere febris, conſumptio, convulſio, & mors.

In morbo inveterato remedia raro proſunt, cæterum tentare ſuadent venæ ſectiones validas ex venis jugularibus; ſetacea; fonticulos; medicamenta potenter alterantia; aperientia v. g.

℞. Nitri puri Unc. *ij.*
Croci martis aperitiv. Unc. *j.*
Aquæ font. Unc. *vj.*
M. Dividatur in doſes N^ro. *ij.* exhibeatur de die.

In cibum dentur folia Lactucæ, herba cichorei cum radice, taraxaci, acetoſæ, cum trifolio fibrino.

Phrenitis (Hirnwuth) a mania diſtinquenda eſt per febrim validam, quæ huic juncta eſt.

In

In ea requiruntur venæ ſectiones ſufficientes, ſetacea collo applicentur, & omni trihorio exhibeatur Unc. ß Nitri.

§. VII.

Morbis venditionem equorum irritam facientibus epilepſia (etſi rariſſime in equos cadat) merito adnumeranda eſſet: hæc enim rectum equorum uſum impedit, & periculoſum etiam reddere valet, ejus ſigna ac cura artis peritum latere non poſſunt.

CAPUT IV.

DE BOUM MORBIS.

§. I.

Ad acutos boum morbos morbi catarrhales, putridi, cholera, diſſenteria, inflammatorii quandoque late graſſantes, apoplexia referri poſſunt, quidam inter illos contagioſi, alii vero a cauſis communibus pendentes, plures quidem aggrediuntur, multamque ſtragem edunt, ſed contagioſi non ſunt; boves morbis correptos vendere licitum eſſe non deberet, & jam venditi, ac brevi poſt mortui, venditoris damno periiſſe merito æſtimari poſſent; apoplexiam ſi exceperis: hæc enim ſubito ingruit, ſæpiſſime necat, & plerumque cauſam in plethora habet, atque

non

non raro cauſa emptoris, bovis violentiore forte ſub cœlo calido abactu, vel labore improbo, exercitatione, accidere poſſet.

§. II.

In boves morbi chronici partim eorum uſum impedientes, partim inſanabiles cadunt, quo mictus cruentus, epilepſia, vertigo, pthiſis pulmonalis, atque ſanioſa internarum partium tubercula referri merentur.

§. III.

Quo tempore quam maxime morbi hi graſſari ſoleant, quibus cauſis ortum ſuum debeant, quibusve ſymptomatibus cognoſcantur, artis veterinariæ gnari determinant, cum periculi gradu, morbi duratione, atque remediis adhibendis.

*) Plura de morbis boum vide capite de morbis ac morte pecorum dijudicandis.

CAPVT V.

DE OVIVM MORBIS.

§. I.

Non raro acutis, ſæpius chronicis morbis oves corripiuntur, ac pereunt, enim medio vere ex pabuli abundantia, nimiaque verocitate

(wenn

(wenn ſie ſich überfreſſen) febre atque delirio acuto oves corripi ſolent, quem morbum *Majalem* vocant (die May Schwachheit) febrem iſtam cum ſynocho convenire putat Baumer, eodem tempore pecus hoc ſanguinis vel ſeri profluvio (ſchleimigten oder blutigen Durchfall) laborare ſolet; optimum eſt dum oves morbo majali correptæ in tempore mactentur, antequam emaciatæ ſint, caro enim horum impune comedi poteſt.

§. II.

Tempore autumnali febre inflammatoria ſepticæ indolis ſeu inteſtinali oves corripi, ac interire ſolent; in earum diſectione echinus atque inteſtina ſphacello corrupta inveniuntur. Evictio ob dicta hæc vitia præſtari non ſolet, diu enim non durant, frequentiſſime tamen oves rabie canina dicta corripiuntur; hæc merito venditionem irritam facere poſſet: cum morbum eundem toti gregi communicare valeat, carnesque ovis rabidæ eſui aptæ non ſint, hinc vendi nequeant.

§. III.

Pluribus morbis chronicis, partim ex aeris inclementia, partim ex mala pabuli conditione, aliisque connexis, magnas ſtrages inter illas edentibus, oves ſubjectæ eſſe ſolent, quibus mania, epilepſia, ſcabies, hydrops, atque pthyſis pul-

 mona-

monalis merito accenſentur; cum tamen horum morborum alii in ſenſus facile cadant, alii ovium carnes eſui inhabiles non reddant, emptionem irritam non faciunt; mania vero & epilepſia cum ſaginationi ovium obſit, nec in ſenſus illico cadat, morbis venditionem irritam facientibus merito accenſetur alibi.

CAPVT VI.

DE SVVM MORBIS.

§. I.

Sues morbis acutis quandoque late graſſantibus, contagioſisque corripi vulgo notum eſt, morbos inflammatorios, maxime anginam, illis, ſi cœlo nimium calido paſtum agantur, accidere, & hac cito necari, experientia evincit; ſues morbo acuto, vel lue contagioſa correptas vendibiles non eſſe, per ſe patet, cum autem morbi hi brevi periodo judicentur, evictio in uſu non eſt.

§. II.

Nec in ſuillo genere morbi chronici deſunt, inter quos atrophia, epilepſia morbi glandulosi primum obtinent locum; atrophia plerumque porcelli juſto citius ablactati, malisque alimentis nutriti corripiuntur, & parvi, contracti,

maci-

macilenti manent, ad juſtam ſtaturam non excreſcunt, nec ſaginationi apti ſunt, vitium hoc in ſenſus cadit, hinc evictionem nullam poſtulat.

*) Sues glanduloſas eſſe nonniſi ex majori hujus morbi gradu, ex tuberculis inferiorem muſculoſam linguæ partem obſidentibus cognoſci poteſt.

§. III.

Porcos epilepſia periodica quandoque convelli experientia teſtatur, cum vero morbus hic eorum ſaginationem impediat, nec ſtatim, ſed ſuo demum tempore appareat, evictio in aliis regionibus locum habet.

TANTVM.